
Coll. Rom. Soc. Iesu cat. Inscr. ex leg.º card.lis Tolet.

# COMPREHENSIO LOCORVM VTRIVSQVE TESTAMENTI DE abſoluta neceſſitate bonorum à Fide operum, ab autore GEORGIO VVICELIO nunc primum & aucta & emaculata.

56.26.C.9

Adiunxi uos uni uiro, uirginem caſtā exhibere Chriſto. 2. Cor. 11.



Veni & oſtendam tibi ſponſam uxorem Agni. Apoc. 21.

LIPSIAE,
In officina NICOLAI VVOLRAB.

M. D. XXXVIII.

Cum GRATIA & Priuilegio Maieſtatis Reg.

B. 5.

Joannis franc. Malochi et blasii liber quem dono habuit à R.do p.re fratre Benedicto Sicco ordinis minorum ... habitatis 1547

# IN CALVMNIA-
## TOREM.

Surgent Eumenides erebo uectesq́ colubræ
Atq́ aderit ditis tota caterua mali.
Vt tingant turpentq́ rudi mea ſcripta ueneno
Et felle aſpergant: non mea dicta: ſuo.
Sed nihil efficies cacodæmonis angele pulchri
Non cedent portis hæc monumenta tuis.
Stultitia eſt quod agis. Verbum dominiq́ deiq́
Eccleſiæ in cæras absq́ dolo retuli
Cur diuina minus ſapias oracula ſcripta
Inuide marceſcens ira dolorq́ facit.
Attamen eſt cur tu placeas tibi iudice turba.
Iudice ego palmam poſteritate fero.

# PIO LECTORI S.

ACCIPE SCRIPTVRAE LOCOS ὡς τὰ θωρά-
κια catholicæ ac euãgelicæ doctrinæ, quiſquis de
ueteri religione & Theologia bene ſentis. Cæte-
rum forſan inſolens iſthæc locorum coaceruatio
καὶ πανὺ ἄτεχνος tibi eſſe uideatur, ac cupias rẽ nõ ita diſiun
ctim tractari. Ego equidẽ maluiſſem uerboſe diſſerere, & ut
alij, iuſto uolumine e tot certiſſ. ſcripturæ ſacræ p̃ſidijs con-
cinnato atq; munito, in caſtra factioſorum facere eruptio-
nem, niſi fuiſſem ueritus huius ſæculi nauſeam. Video non
capi, nec teneri amplius noſtros homines loquaci paginarũ
cõgerie, poſteaq; occaſione ſchiſmatum literę denuo conte
mni cœperunt. Quare uiſum eſt, nouo hoc pugnandi gene
re uti, quo ceu machina impetuoſa hoſtẽ ſemel funderem.
Alioqui nullus eſt inter hos fermè locus, in quo explicando
ac uentilando non poſſis q̃ lõgiſſime immorari, adeoq; è ſin
gulis liceat homilias facere. Hos placuit oſtendere magis q̃
infigere, & dare potius amaui uerbum dei q̃ meum, ut om̃is
occaſio calumniæ ſubmoueretur. Citius ſuccumbet hoſtis
telo q̃ manu ictus. Poſtulant nunc aperta ſcripturę teſtimo-
nia, en illis teſtimonia. Poſtulãt eadem à gloſſematographis
incorrupta, en illis incorrupta. Ipſis porrò uidendũ, ne in ha
renam contra bona opera de integro deſcenſuri, gloſſema-
tis nos adoriantur, cuiuſmodi è noſtris manibus excuſſa uo
lunt. Aequa eſt conditio ô tenelli euangeliſtæ, uerbo pugna
tranſigatur, nõ gloſſa. Atqui uos ilico terga uertetis, ſi gloſ-
ſarum armis ficulnis locus denegetur, quippe qui præter
gloſſas, maxime in hoc argumento, nihil habetis calletiſue.
Intenti ac uehementes in uos erimus: uos uobis ne ullo pa-
cto deſitis, etiam atq; etiam facite. Pugna nobis expeditior
eſt, quia certa uictoria. Nouimus ſub cuius ſignis, quo du-
ce, qua in acie, aduerſum quos & de quo certemus, uos ue-

ſtra uideritis. Conſciẽtiæ alacritate deſtituimini, cor eſt diſſolutum ceu cæra liqueſcens, manus tremulæ, uacillantia genua, ut miſerandi potius q̃ uincendi ſitis. Ad inſultus tamen ueſtros, ſi quid audetis ambitioſiſſ. catilinarij, obdurabit adamantina Ieſu Chriſti turris. Cum illo, mihi credite, non mecum dimicabitis. Opinor autẽ illum, cumq; illo à uobis tutam fore reginam ueritatem, q̃tumuis Enakim, Emim, Rephaim in cohorte ueſtra, inq; oculis ueſtris uobis ipſi eſſe uideamini. Porrò libri is eſt ſcopus amice frater: Oppono locos qui irrefragabiliter edoceant, nõ ſufficere ſolam fidem, ad conſequenda immortalitatis præmia, & oppono ijs, qui diuerſum docent, quiq; toto amplius decennio nil aliud egerunt, tot libris, tot axiomatis, tot lectionibus, tot concionib. tot cantionibus, tot rhythmis, tot cõteſtationibus, quàm ad tædium uſq;, ſuũ etiam, inculcarunt, bona opera neq; conſiſtere corã deo, neq; ualere in negocio ſalutis, neq; prodeſſe, neq; quicq; efficere, neq; reſpici, neq; laudari, neq; rependi: Imò ea uel optima, eſſe peccata coram deo, ſordes, ſtercora, & quibus nihil niſi iram dei cõmereamus. Patrocinatur noſtræ ſententiæ, præter tantam ſcripturarum uim (quã tamen non omnem adduximus) conſenſus Eccleſiæ Chriſtianæ, unà cum toto ſanctiſſimorum ſcriptorum choro. Aduerſarij etiam ab omnibus retro hęreſibus, nedum à ſcriptura atq; ſacris doctoribus deſeruntur. Neq; enim extitit hæreſis: ſi unam Prædeſtinatorum excipias: quã eò inſaniæ delapſam legerimus, Opſopæius ad Albim, & quidam Raidius uere ῥαδιοῦργος: quod tota hæc uicinia clamat: è Rom. Curta, fide atq; eruditione plus ſatis curta, homo miſer, ſed nemini nec ſibi miſerabilis, contra priorem farraginem oppedêrunt, nõ ſcripſerunt. Perſtat adhuc et obdurat immotus libellus, quẽ ego in præſentia neq; ſub incudem reuoco, neq; rurſus extrudo, ſed ex hoc aggeſtis locis plures addo, eoſq; genuino

in ſenſu

in ſenſu ſuccinctos, unà cum prioris inſtrumenti copijs in expeditionem emitto,ut utriusq; inſtrumẽti panoplia ſimul oſtenſa contentioſi territi, ſub alam fortis Iſraël, dum licet,ſi uelint, ſeruandi confugiant. Vale.

Eiſlebij apud diuum Andream,

M. D. XXXIIII.

# SYLLABVS

## LOCORVM PRO BONIS OPERIBUS, Ex ueteri Teſtamento.

## EX GENESI.

ASPEXIT DEVS AD ABEL ET ad munera eius,Hoc eſt, authore Chryſoſtomo, accepit,gratum habuit, laudauit, quia recta intentione & ſyncera mẽte obtulerat. Aſpexit quidem primum ad perſonam, ſed tamen mox ad opus quoque. Finge hic quæ libet,certe reſpectus ipſius facti exterioris hoc habetur loco . Factum exprimitur ſine controuerſia, quę rex maximi momenti eſt. Reſipiſce igitur pſeudeuangelice præco, qui hactenus atrociſſimis dictis in bonorum operum dignitatem abs re inuectus es,magis zelo fatuo adeoq; affectui cuidam, & leuis turbę plauſibus indulgens, q̃ conſyderans,quid,quo modo,in quem finem diceres.Quin honorabis in poſterum opera,utpote quæ tanti fiant apud Deum Opt.Max.& huc ducta animas,ut inte- Cap. iiij.

tiori bonitati exteriorem adiungant, quo aſpici cœlitus in operum ſtudio mereantur.

Cap. eod. Nonne ſi bene egeris, accipies? Hic de tranſlatione controuerſia eſt. Nos certi ſumus hoc loco uſurpari Hebræis Seeth pro capere ſiue ferre, quemadmodum & Gene.xliiij. quoq; reddiderunt. Item i.Reg.ij. Rabbini hanc uoculam de remiſſione interpretantur, nixi. Gene.l. ubi dicitur. SANA, id eſt, Remitte obſecro. Præterea ſi Robotz futurum facis, & ad Cain refers, cur non Seeth quoq; maxime, cum utrobiq; de eiuſdem uel mercede uel pœna loquatur, iuxta eius uel benefactũ uel malefactum? Sed nihil mirum, quod noua Germanorum tranſlatio à ueritate textus refugit. Neq; enim illa habet, niſi quod cauſſę eſt accommodum. Tametſi fraus nequicꝙ prodeſt dogmati, qua pro: accipies: oblatio uertũt, Nam eodem recidit, Oblatio ſurſum aſſumitur, Sed eius qui in uita bene facit, non qui credit tãtum: ut uideas beneficentia cõmendari cęremonias. Ad hæc ſi eſt oblatio aſſumpta, & hoc ob benefacta, manifeſto liquet, quãti precij apud deum ſis, ſi benefactis impenſe ſtudeas.

Cap. v. Suſtollitur è peccatrice generatione Enoch, non ob aliud profecto, q̃ quia ambulauit cũ deo, hoc eſt, ob diuinam eius uitam. Fides (ſine qua fieri non poteſt ut quis deo placeat) in eo inerat, uel Apoſtolo teſte Hebrę. xi. at uitæ modo mentio fit in eius ſublatione, ne dubites, maius eſſe ſyncere uiuere q̃ credere. Nam olim in iudicio œcumenico magis ad calculum reducetur, quomodo uixeris, q̃ quomodo credideris, Matt.xxv. Multitudo recte credit, at in ea uix pauci (ut nunc ſunt tempora) recte uiuunt. Memoriæ illud affige: Maior horum charitas. i.Cor.xiij.

Cap. vij Ingredere tu Noë & õnis domus tua in arcam, te enim uidi iuſtum in generatione hac. In ſexto ca. dicitur Thamim ἄμωμος ambulaſſe cum deo, ſicut Enoch, ut ſcias, quid demum ſit,

mum ſit, quod tantopere in eo probarit deus, nempe uita bona, quam (malum) multis concionum arietibus temere quaſſarunt Lutheriſtę. Cauſſa erat ſalutis patriarchæ probitas, quam præceſſit fides, Hebr. xi.

Non delebo Sodomam propter decē uidelicet iuſtos. Cap. viij. Magni precij in cœlo ſint oportet iuſtitiæ facta, ob quæ nimirum parſurus erat Sodomitis iratus dominus. Stellula inſignito: propter. Ad eum modum pollicetur ſeſe propitium fore Hieroſolymæ, ſi unus dūtaxat uirorum inueniatur, qui ex animo recte & fideliter uiuat, Hiere. v. Adeo cohibere etiam pia piorum facta furorem domini ualuerint.

Propterea dicitur dominus parſiſſe ſiue coërcuiſſe, ne Cap. xx. Abimelech ſe ſtupro cōtaminaret, quod in ſimplicitate cordis & innocentia manuū ad ſe accerſierat Saram. Quo claret, ſæpe cuſtodiri nos à ſcelere, propter innocentiæ ſtimulos. Contra, tradi in reprobum ſenſum ut præter modū peccent, eos qui peccatis gaudent. Eiuſmodi bonæ uitæ cōmoditates infinitæ ſunt.

Per meipſum iuraui, dicit dn̄s, Quia feciſti hāc rem, &c̄. Cap. xxxij Vix alibi reperias cauſſam euidētius expreſſam, atq; hoc loco. Nam præter Ki, etiam Iaan adijcit Hebræus, ut duplicatam cernas Rationalem, quo res indubitatior ſit. I nunc & blatera, Deum ob opera noſtra neq; facere quicquam neq; omittere. Abrahæ fides meretur predicari, Rom. iiij. Heb. xi Sed æque opus iſthuc, per quod ad extremū delectauit dominum, Per quod inquam, adeo adegit dominū, ut ſe illi totum effunderet. O celebranda, ô buccinanda uiri opera, qui non fide ſolum, uerumetiam obedientia, & operis executione iuſtus extitit, Iacob. ij. Adeoq; cui nihil profutura erat iuſtitia fidei, niſi acceſſiſſet iuſtitia operum.

Dabo poſteris tuis &c̄. Eo q obedierit Abraham. Qd' Cap. xxvi. ſupra dictū, hic ſtabilit. Obedientiæ, deo grati operis cauſa, affirmat

affirmat ſe dominus benefacturum genti Iudaicæ, ac nobis qui in huius locum ſucceſſimus, oliuæ inſerti. Excitare igitur credēs, excitare & euigila ad ſtudia bonorum operum, imitator fidei Abrahamicæ iuxta ac factorum. Venditatur hic obſeruatio mandatorum dei, quæ aliquid eſt, cætera nihil. i. Corinth. vij.

Cap. xxix. Non uno ſcripturæ loco adparet, dominum reſpicere ad preſſuras etiam & paſſiones noſtras. Quēadmodum hīc uidet in humilitatem & contemptum Lię, quo factum ut prę æmulis prolifica redderetur. Sic reſpexit ad humilitatem Mariæ deiparæ, perpetuæ uirginis, Lucæ i. & Iſraelitarum, Deutero. xxvi. Atq; hic locum habet illud: In humilitate noſtra memor fuit noſtri. Iacob fatetur dominum laborem manuum ſuarum reſpexiſſe, cap. xxxi. Sic Exod. iij. Porrò illud reſpiciendi uerbum complectitur diuinam munificentiam, & latinis aliquoties in eo ſenſu uſurpatur. Iuuenal. Solus enim triſtes hac tempeſtate camœnas, Reſpexit. Et Verg. Aeneas in pathetica prece: Si quid pietas antiqua labores Reſpicit humana nos & c. libro v. Quæ memoro, ut rubore ſuffundantur, qui fidem duntaxat à deo reſpici prodiga infręniq; lingua ſua indefeſſe lallant.

Cap. xxx. Propter Iacobi pietatem benedici ac ditari ſe predicat Syrus ille. Tantum ubiq; & ſemper boni efficit probitas, quæ fide nititur. Hoc modo cap. xxxix. legis dominum benedixiſſe Aegypto propter Iozephum, ne neſciremus, q̄ uehementer mulceret afficeretq; deum pietas uitæ, & inuitaret ad benefaciendum non ſolum bene operantibus, uerum etiā propter hos male operantibus. Quid rogo te addi poſſet laudi bonorum operum? Benefacit dominus bonis & rectis corde, Benefacit idem malis & prauis corde propter bonos, qui tamen boni non eſſent, niſi hoc ipſum extimis documentis declararent, hoc eſt, niſi coram hominibus lux eorum luce-

rum luceret. Lucete, inquit Paulus, uti luminaria. Tale olim adumbratum eſt, quando trecenti, id eſt, pauci è multis ſurrectis lampadibus pugnabant, Iud. vij. Cui libet, is diſquirat Ioſephi huius opera, quorum ualor in publicam Aegypti utilitatem redundauit.

# EX EXODO.

Benefecit ergo dominus obſtetricibus. Mox: Quia timuerunt deum, ædificauit eis domos. Pro eo ꝙ detrectabant crudeles manus infantulis afferre mulierculæ, ſed metu dei à malo abſtinebant, conſeruantes Hebræam prolem, exhibuit ſe in eas benignum dominus. Fecerunt uerum quod ſcribitur: Qui timet deũ, recedet à malo. Quàm propenſa eſt uoluntas dei in operarios? Quis det, ut nos totos transferamus ad operãdi ſtudium? Occurritur hic à Miſergis: An non propter miſericordiam ſuam magis iuuat ac ſaluat deus? Reſpon. Indocte, quid aliud ſunt bona opera niſi Miſericordia dei? Hęc præuenit, hęc ſubſequitur, Sine hac nihil operamur. Quid quęſo boni fructus ferres, niſi eſſes palmes in uite, qui eſt Chriſtus, Ioan. xv. Cap. i.

Aſcendit clamor eorum ad deum, & opera pertingunt etiam ad aſtra, non humi tantum repunt, ut nugantur uanæ ſectæ. In memoria & conſpectu dei ſunt, quæcunqꝫ operamur. Vnde dicit Apoca. ij. Scio opera tua. Pſal. xix. Memor ſit omnis ſacrificij tui. Cap. ij.

Si obedieris uoci domini & quod rectum eſt coram eo feceris, non inducam ſuper te languorem &c̃. ſic cap. xxiij. Probitas et innocentia recti pręſeruant hominem à morbis, præter tot alia commoda, quę pariunt & corpori & animę. Dominus minis etiam impellit ad officium, uſqueadeo gaudet morum noſtrorum rectitudine. Animaduerte interim Cap. xv.

condiționalem Si: de hôc infra nonnihil.

Cap. xix. Si obedieritis uoci meæ, eritis mihi in peculium præ cunctis gentibus. Minuenda igitur opinio eſt, qua fræti, ſecure ſtertimus & bene operari negligimus, perſuadentes nobis, quod ſimus ſacerdotes, reges, populus & hæredes dei, fratres & cohæredes Chriſti, etiamſi tantum credamus, & opera Eſſæis relinquamus. Seducti ſumus à rectoribus noſtris, qui docuerunt: Opera bona nihil conducunt uel ad iuſtitiam uel ad ſalutem. Cæterum huic loco Euangelium conſonat: Vos amici mei eſtis, Si feceritis quæcunq; præcipio uobis, Ioan. xiij.

Cap. xx. Facio miſericord. in milia his qui diligunt me & præcepta mea cuſtodiunt. Operarijs promittitur miſericordia dei, non ijs qui apud Syrach, peccatũ ſuper peccatum adijciunt dicentes: Miſericordia domini magna eſt. Talibus reſpondet dominus, Hiere. xv. Laboraui miſerans. Attamen maturantes reſipiſcentiam audiunt: Nolo mortem peccatoris. Ezech. xviij. Cæteri in Tophet ablegabuntur, ubi erit fletus & ſtridor dentium. Diſce hic, obſeruationem præceptorum dei è dilectionis fonte profluere, quare prius dicitur: Qui diligunt me, poſt uero: Et præcepta mea cuſtodiunt, iuxta illud: Qui diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Vide Deut. x. & xi. Diſpereant ſicut quiſquiliæ à facie uenti, qui docuerunt præcepta dei non eſſe data ut ea faciamus, aut facere etiam queamus. Item præcepto nos non meliores, ſed peiores effici. Rurſus, præcepta operibus non impleri.

Decalogus ad opera ſpectat. Hunc ſeruãti porta cœli patet, Matth. xix. Hunc ſeruanti uitæ æternæ hæreditas promittitur, Marc. x. Operi quarti præcepti promittitur longæuitas, Deut. v. & vij. Pro. iij. & iiij. præterea Ezech. vi. An non igitur decalogo contradicit, q contradicit doctrinę bonorũ operum? Doctor operum hodie inter ſectas deridetur, qua

audacia

audacia atq; temeritate ipſe deus quoque deridetur, quippe bonorum operum & author & præceptor: olim idem futurus remunerator.

Seruietis domino deo ueſtro, ut benedicam panibus ueſtris & aquis & auferam infirmitates. Seruiendum Creatori Redēptoriq; noſtro erat, citra etiam remunerationis ſpem, quanto igitur feruentius ſeruiendum, poſteaq̃ tot ſtipendijs inuitati ſumus? Seruitus uero eſt iuſtitia & ſanctitas, Luc. i. Bonitas cordis, Deut. xxviij. Integritas & ueritas, Ioſu. xxiiij Timor & tremor, Pſalm. ij. Nouitas uitæ, Rom. vi. Seruitus proximi eſt charitas de puro corde &c. i. Tim. i. Per charitatem ſeruite inuicem, Gal. v. Lutheriſtici præcones prædeſtinatis pares dicūt cum Iudęis apud Malachiam: Vanum eſt deo ſeruire, & quod compendium eſt, q; cuſtodimus præcepta eius? Simus nos heus orthodoxi ſerui dei & iuſtitiæ, qui antea ſerui diaboli & peccati fuimus. Obſtupeſcite & audite fratres, deus noſter ignis deuorans eſt, & idem remunerator quærentibus ſe.

Placatur iratus dominus opere orationis, quemadmodum eodem opere ſanatur Sara, Gen. xx. & per hoc promittitur uita Abimelecho. Hoc opus cædit Amalechum, Exodi. xvij. Impetrat prolem Rebeccæ, Gen. xxv. Per hoc ſperat Paulus ſe donatum iri Philemoni. Sed arenam numero, tu ipſe ſcripturas reuolue. Cap. xxxij

## EX LEVITICO.

PRopitium reddit deum opus orationis, Sicuti Pſal. cvi. clamauerunt ad deum cū tribularentur. Sic iij. Re. xvij. Cap. iiij Claudit & aperit cataractas cœli, uide Iudi. iij. iiij. Nihil potentius iſto opere, Si adiūcta habeat ieiunia et eleemoſynam Matt. xvij. Act x. Tob. xij. Beatus qui experit̃. Phialas horꝫ operum (precationis) plenas non abijciet agnus, Apoc. v.

C.xix.xxij Demulſerunt deum opera hoſtiarū exteriora, atq; adeo in hoc adhibebantur, ut demulcerent. Quanto autem citius certiusq; ſerenabit eum bonum opus, poſteaq; ex inimicis amicos nos ei exhibuit Ieſus ſeruator? Opera ſacrificij noſtri gnauiter operemur. Aſcendunt enim in cœlum ut ſuauiſſ. odor. Offeramus cor contritum, Pſal.l. Os laudis, Pſal.xlix. Hoſe.xiiij. Heb.xij. Imò totum corpus noſtrum, Rom.xij. Hæc demum opera ſunt uiuentia, ſancta, deo placentia. Beatiſſ. uir, qui per hæc Redēptori ſuo ſeruire ſatagit. Lege Orige. de iſto ſacrificij genere & uſu, Super Rom.xij.

Cap.xxvi. Si in præceptis meis ambula. &c. dabo uobis pluuias temporibus ſuis. Vt om̄i affectu cupit, ut ſerio exigit, ut indeſinenter efflagitat deus noſter, quo bene operemur? Iuſſa amara dulcorat mellitiſſ. promiſſionibus, ut alacrius agonizemus per uiam ſtrictam. Dare ſe centuplum recipit operarijs, & dein uitam æternam, nec tamen audiunt incircumciſæ aures. Malunt enim in uetuſtate uitæ atteri & dicere: Vetus uinum melius. O iram dn̄i ardentem, et portatu grauem.

## EX NVMERO.

Cap.xiiij. SEruum meum Caleb, quia plenus alio ſpiritu ſequutus me eſt, inducam in terram hanc. Hebræi ſuccinctius & neruoſius, licet obſcuriuſcule efferunt: Impleuit poſt me, quòd LXX. dixerunt: Secutus me eſt, Cuius ſenſus eſt, ſtuduit me imitari, nihil prius habuit, q̄ me imitari. Voluit ſanctus eſſe cum ſancto deo, atq; adeo in deum quaſi transformari. Quo idiomate & alibi in Calebi laude utitur, præſertim Ioſu.xiiij. quaſi peculiare eius elogium iſtud ſit, quemadmodum Enochi & Noë Vaith hallech eth haelohim, de quo ſupra. Cæterum hic & Deut. i. uides Calebo ob bonorum operum ſanctimoniam promiſſam terram contigiſſe,

quę ad-

quæ adumbrat hæreditatem conſeruatam in cœlis. Nam il-
lò itur per opera & preſſuras, Matth.xix. Actu.xiij. Inſuper
uides toties promiſſam Cananæam populo denegari. Cur
id? Quia nolebat audire & obedire. Aſpice textũ. Ipſe adeo
Moſes tam ob incredul. Num.xi. q̃ ob præuaricationem &
prophanationẽ non potuit beatæ terræ fieri particeps, Deu.
xxxij. Promiſſa dei habent plerumq; annexas conditionales
ſiue continuatiuas, ut: Beati eſtis, ſi feceritis, Iohan.xiij. Ve-
ſtrũ eſto brabion, ſi ipſum currendo prehenderitis, i.Cor. ix
Cœna parata eſt, ſi uos modo digno cultu ad eam acceſſeri
tis, Matt. xxij. Ibidem habes, non proſpere ceſſurum trans-
greſſoribus uerbi dominici. Nam ipſum dominum cum ta-
libus non eſſe. Solent etiam peſſimi quiq; opinari deum à ſe
ſtare, ut Mich.iij. uociferantur: Nunquid non dominus in
medio noſtrum? Non ueniẽt ſuper nos mala. Sic Hiere.xxi.
Quis percutiet nos, & quis ingrediẽt in ædes noſtras? Hoc
pacto perſuadebat ſibi Ioannes ille Giſcalonites apud He-
geſippum, tuta Iudæis fore omnia in obſidione Hieroſoly-
mæ, Nam adonai iſto in loco incolere. Iactare licebat Tem-
plum domini, templum domini, at ſe tutari in templo domi-
ni non licebat. Imò in lib. Regum dici ſciebat, templum ſolo
æquandum, ni pergant deo ſoli ſeruire, & bene operari, q̃d
à Chaldæis antea factitatum, q̃uis hoc futurum pauci crede
rent. Scribitur ſane dominus ignem in Zion & caminũ in
Hieruſalem habere, Sed tamen miſerabiliter relicta urbs eſt
ob uitia ſua. Memoria promiſſa dei tenemus, at minas eiuſ-
dem obliuioni contradimus, haud ſcio ſtultiores ne an mi-
ſeriores. Meminerimus igitur tum nobiſcum fore deum, ſi
quæſitauerimus bonum et non malum, Amos.v. Exprima-
mus Dauidem morum probitate, ut cum illo dicere quea-
mus: Non timebo mala, quoniam tu mecum es.

Extinguit iram domini flagrantem opus bonum Phi- Cap. xxv.

k iij nees,

nees, quod opus illi imputatum eſt ad iuſtitiam. Pſalm.cv. Haud aliter atq; fides Abrahæ, De hoc in priore libello. Mirifice iactant Euangelion, ut bonorum operum utilitatem & exiſtimationem obfuſcent, ſed ad populũ phaleras. Euangelium ſonat: uincti exite, ſed iam egreſſis ſonat: Ne poſthac peccetis, ne aſperius reuinciamini, & redeat ſpiritus impurus fiantq; nouiſſima prioribus deteriora. Euãgelium ſonat: Heus ſitientes uenite ad aquas, ſed idem mox: Derelinquat impius uiam ſuam. Prouerb. ix. uocantur ad menſam, id eſt, Eccleſiæ ſocietatem infantes ſiue inſipientes, ſed ijdem mox audiunt: Relinquite infantiam. Hoc eſt: Ne eſtote quales eratis. Marcus ſcribit, predicate Euangelium, ſed Matthæus, docete eos ſeruare quæcunque præceperim uobis. Væ deriſoribus in malum, Væ contemptoribus diuini uerbi.

# EX DEVTERONOMIO.

IN iſto libro ubiq; infigitur uita pia puraq;, ſed non ſimpliciter, Affigitur inſuper uitæ piæ puræq; merces. Nam ego alioqui non coaceruo leges. Eos uero præceptorum locos ſupra repetitos oculis Chriſtianorum ſubijcimus, qui preterq; quod iuſſu fatigant, illecebris etiam ſucculentarum promiſſionum delectant, idq; facio, partim ut catholici hoc ſeuerius bona opera excolant, partim ut Schiſmatici facilius ad ſanam mentem reuocentur, & ſi qui ſunt σχληπρόσωποι uehementius reuincantur expugnenturq;.

Cap.v.&I Addit benigniſſ. deus factoribus ſuæ legis: Vt bene ſit uobis &c. Q.d. Non ſuperuacaneum eſt nec infrugiferum, Si recte facta cumuletis. Ero enim ob hæc uobis placatior, & ijs factis meam erga uos uoluntatem liberalitatemq; demerebimini. Qui Chriſtiani cenſemur, toties nobis cœleſtia

etiam

etiam ac ęterna promitti credimus, quoties caducorum prę-
miorum fit mentio. Etenim uſu uenit, ut iuſtiſſimi quiq; mi-
nimo omnium temporalium iſtorum plerumq; fruantur,
nec minus tamē uerax deus eſt. Proinde ubi illi è corporum
uinculis, tanquam è carcere euolauerint, tum demum fruen
tur pollicitis in beata patria, in terris tamen non derelicti,
Pſalm.xxxv. Diues deus eadem facilitate remunerat ſtipen-
diarios ſuos inuiſibilibus, qua uiſibilibus, Neq; enim ideo
non æterna quoq; contigerunt patriarchis, Calebo, Iobo,
pijs regibus, &c. quod fluxis hic uſi fuêre: Quæ quo parci-
us nobis in uitæ huius breuitate redduntur, eo copioſius
æternis donatiuis in futuro ſæculo obruemur. Delyrant igi
tur, qui benedicendi uerbum, & uitæ, item beatitudinis in ue
teri inſtrumento temporalibus duntaxat alligant. Qua di-
ſputatione dum ſe bonorum operum neceſſitatē acriter de-
bellare putant, Chriſtum & Apoſtolos imprudenter cal-
cant. Hac de re alibi.

Porrò carptim recenſeamus temporalia ex Deuterono.
Propter bona opera, bene fit tibi à domino, ut prolongetur
uita, ut in pace uiuas, ut incolumis, ut benedicatur fructus
uentris tui, fructus agri tui, fructus pecorum, caulæ ouium,
horrea, cellaria. Promittitur tibi operum præceptorum gra
tia uictoria de hoſtibus, gloria & diuitię, celſitudo, potentia
& nihil non. Sunt loci innumeri qui eadem polliceantur.
Vide Hierem.xlij. iiij. Reg. xvij. Pſalm.cxi. cxxvij.

Et iuſtitia erit nobis, ſi cuſtodierimus & fecerimus om̄ia Cap. vi.
præcepta eius. Belialitæ Lutheriſtæ ceu aborigenes, genus
hominum ſine legibus, liberum atque ſolutum, conſueue-
runt eos Iuſtitiarios per contumeliam appellare, qui ad
opera ſunt propenſiores. Nam ea hactenus plane reiectanea
in illorum ſcholis ſunt, uſq; adeo ſcilicet fauent gloriæ Chri
ſti, Qui ſecundum nouam Theologiam, opera pati non po
teſt. Item

teſt. Item docent: Qui operibus bonis cooperti ſunt, penetrare cœlum non poſſunt, Imò ouicula Chriſti horret, ubi concionari aliquem opera inaudit. Præterea, præceptum decalogi tertium uiolat, qui predicat opera moralia. Rurſus: Non eſt in eccleſia ſimul magiſter fidei & operũ. Tandem docuerunt: Sint ſanè opera, modo ſciatur ea eſſe coram deo peccata. Id genus ducenta emblemata in ſpectaculum afferrem, niſi decreuiſſem, ut ſemper, eſſe breuis. In retectione Lutheriſmi eiuſmodi, ſpero, mox dabimus. Verum hic apparet, Iuſtitiam attribui obſeruationi præceptorum dei, idq; in ijs qui crediderunt deo. Locum ipſe diſcute ex fonte Hebræo. Infra cap. xxiiij. pari ratione dicetur de operib. bonis: Vt habeas iuſtitiam coram domino deo tuo.

Magnifica promittuntur factoribus, Quæ nimirum indicãt, quàm ſerio à nobis exigantur bona opera. Sed dyſangelicæ ſectæ perſuaderi non poteſt, ut in mentem inducant, deum operibus affici.

Cap. xi. Eligimur ut ſimus deo populus peculiaris, & ut cuſtodiamus præcepta eius. Apud Paulum dicimur redempti, ut ſimus populus zelotes bonorum operum, Tit. ij. Hic mox creati etiam dicimur in laudẽ, nomen & gloriam dei, quemadmodum, Eſai. xliij. Tolle pietatem, recta opera, mores, inſtituta, uitam, uirtutem, iuſtitiam, & iſtud peculium omne ſuſtuleris. Creati, redempti, electi ad ſanctimoniã ſumus, Eam ni perfecerimus, deum non uidebimus, Heb. xij. Laus et gloria dei eſt, bona uita fidelium Chriſti. Phili. i. Repleti fructu iuſtitiæ in laudem & gloriam dei. Sicuti contra Blaſphemia diuini nominis eſt mala uita, Ezech. xxxvi. Rom. ij.

Cap. xxvi. Terram dabit tibi dominus deus tuus in poſſeſſionem, Si tamen audieris uocem eius, & cuſtodieris omnia &c. Nõ hoc tantum libro, ſed in Reg. etiam, συναπτικῶς promittit dominus bona ſua, ut ſciens ſcias, niſi planè bardus es, neceſſario requi-

Ca. xv. xvi

rio requiri bona opera. Hebræum, ne diffidas lector, ſententiam hanc citra cõtrouerſiam gignit, Ra Kim, & ſic cæteris in locis quoq; habet. Vbi igitur ſunt, qui clamant operibus cum promiſſione non conuenire? Palam eſt, promiſſionem dei tam fidem quàm opera poſcere: Habentes promiſſiones, inquit Apoſtolus, mundemus noſipſos, &c. id qđ continuat, ne putemus cum Lutheriſtis, ſufficere, ſi promiſſiones fide captemus, de conuerſatione nihil ſoliciti.

Vt habeas iuſtitiam corã domino deo tuo. Lorarijs digni ſunt, qui nomen iuſtitiæ à uirtutum factis reſectum, ſoli fidei uendicarunt, id quod neſcio audaciam ne, an ruditatem, an uero maliciam interpreter. Atq; hi ſunt, qui primi ſcilicet intellexerunt ſacras literas, hos nos ſecuti quinquennium, priſcorum ſcriptorum gloriæ indigniſſime inſultauimus. Sed reddita mente, nobis perſuaſum habemus, Iuſtos etiam coram deo eſſe, qui poſt fidem, rectam uitæ uiam ingrediantur, Nec fide ſola ſatisfieri deo, qui ad conuerſationis honeſtæ curam nos uerbis, exemplis, p̃mijs deniq; prouocarit. Ioan. Chryſoſt. recte: Non modo, inquit, qui fidem habent, conuerſatione neglecta, regnum cœlorũ non poterint introire, ſed qui cum multa etiam fide ſplenduerunt claritate ſignorum, nec tamen aliquid boni operis in uita exercuerunt, à cœleſtibus ſimiliter ianuis repellentur. Cap. xxiiij

Maledicuntur operarij iniquitatis. Nam ij audiũt apud Euangeliſtam: Diſcedite à me εἰς ὄλεθρον, adeoq; in gehennam, ubi uermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Cæterum qui hæc monet, uidetur cum Loth ridens loqui, ſed olim plus nimio experientur, Matt. xxv. Cap. xxvij

Benedicuntur operarij iuſtitiæ, Nam ij audiunt: uenite, poſſidete, uiuite, regnate, ô gloriam admirandam, quam nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hic hic apparebit multa merces ſanctorũ operum. Hic in- Ca. xxviij.

quam experietur, quotquot cum deo in bonis operibus ambularunt, ꝗ bonum & ꝗ iucundum ſit, deo præcipiente & trahente, ἀγαθοποιίαν diligenter excoluiſſe, nec metu malorum hominum & tædio longorum temporum deſtitiſſe.

## EX IOSVA.

Cap. i. Meditaberis in libro legis die ac nocte, ut cuſtodias & facias omnia &c. tunc proſperabitur uia tua. Hinc Pſal. primus. Obſerua, tunc bene fortunare deum, quum noſtra ſtudia uerbi diuini regula metiamur. Tunc exaudiemur precantes, quum officium in proximum conferamus. Eſaias lviij. Secundis rebus etiam utuntur mali, Iob. xxi. & Hiere. xij. Sed ſuo malo. Pone ob oculos epulonē, Luc. xvi. & Eſau, Heb. x. Appetit tempus quādo ij, quorum ſpes ceu lanugo eſt & uelut ſpuma gracilis, dicent: Quid nobis profuit diuitiarum iactantia? Tranſierunt omnia illa tanꝗ umbra, & tanꝗ nuncius præcurrens, Sap. v.

Cap. ij. Opus hoſpitalitatis Raab Hierichontinæ emeruit illi ſalutem corporalem & ſpiritalem. Vide Iaco. ij. Sic Loth ob hoſpitalitatem malis eripiebatur, Gen. xix. & quia oculis auribusq; iuſtus erat, ij. Pet. ij. Neq; tamen eiuſmodi illis profutura erant, ni ante credidiſſent & Loth & Raab. Habes confeſſionem mulierculæ, qua ſeſe credere arguit: Dominus deus ueſter, in cœlo ſurſum & in terra deorſum, &c.

Cap. xiiij Caleb iterum atq; iterum commendatur à diuina cōuerſatione, de qua ſupra. Ventri obedientia pecora iſtiuſmodi non curant. Gaudent in uitę ueteris uolutabro conſeneſcere, & recte monētibus oggrūnire: Deus eſt miſericors, Qui credit duntaxat, immortalitate fruetur. Chriſtus impleuit legem, ut non damnare poſſit, ſi nos eam minus impleamus. Ipſe fecit opera, ipſe expiauit, quicquid peccamus. Animam efflatu-

mam efflaturi ablegabimus ad hunc tortricem conſcientiam, & accuſantem diabolum &c̄. Habes Euangelium à tineis & ſitu uindicatum, dijs hominibusq́ꝫ plaudentibus, id quod ni factum fuiſſet, ebrij atqꝫ ructantes paradiſum intrare non poterant.

Ioſua exemplo ſe fidelis obfirmet, ne alijs degenerantibus, ipſe quoqꝫ una degeneret. Dicat ex animo: Ego autem & domus mea ſeruiemus domino. Qui nolunt pietatē con ſectari, omittendi ſunt, Matth. xv. Impijs & intractabilibus uia lata relinquenda eſt, quæ ducit in exitium, quantumlibet adeuntibus commoda uideatur, Matth. vij. Tale nouerunt & ethnici: Molle oſtentat iter uia lata, ſed ultima meta, Præcipitat captos uoluitq́ꝫ per ardua ſaxa. Præcipit Apoſtolus, ne nos geramus ſicut cęteri, i. Theſſ. v. qui gratiam ad laſciuiam transferunt, Iudæ. i. Cap. xxiiij

## EX IVDIC.

VEl in Nazaræis apparet, & Rechabitis, Hierem. xxxv. Cap. xiij. auere deum religioſa opera. Nec uideo cur non quiuis Chriſtianus Nazir & eſſe & dici debeat, hoc eſt, is qui ſe abſtrahat ſeu ſeparet à mundi huius contagioſis illecebris, & ſe totum, quantus eſt, conditori redemptoriq́ꝫ ſuo conſecret atqꝫ addicat. Hinc illud Iacobianum: Religio pura & immaculata eſt, ſemet immaculatū ſeruare à mundo. Quiuis Chriſtianus: ut animi ſenſa paucis exprimam: aliquo modo monaſticen exerceat, nō tam in practica q̄ theoretica uita, Nam ita demum reſponderetur baptiſmi eccleſiaſtici uotis, & germanæ eius ſignificationi, Rom. vi. Col. ij. Atqꝫ ita recta imitaremur Maiores, qui initio Eccleſiæ in pura & integra conſcientia ſecundum Euangelium uiuebant, de quibus poſt Philonem Euſebius noſter, & in epiſtola illa ad Traianum

 pręcla-

preclariſſima Plinius ſecund. Sed habet Satan cauilla, quibus obſtrepat diuinæ philoſophiæ: En, ait, Cynicos, Stoicos, En Eſſæos, Encratitas, Catharos, &c. ut impleat illud prophetæ: Declinans à malo, prædæ expoſitus eſt, & Apoſtoli: Qui uolunt pie uiuere in Chriſto Ieſu διωχθήσονται. Sine inuidia pſeudochriſtianorum nemo omnium unquam benefacere et deo ſuo placere potuit. Erit hora, quando cauſa pro tribunali agetur, quia iuſtus dominus, & rectum iudicium eius, Pſalte teſte.

## EX RVTH.

Cap. ij. REddat tibi dominus pro opere tuo, & plenam mercedem recipias à domino. Ad eum prope modum precatur Paulus Oneſiphoro, ij. Tim. i. Non perit merces populi etiam frigidæ aquulæ, Matt. x. Huc pertinent loci operum dilectionis, Luc. xiiij. & xvi. Agnoſcitis igitur tandem operum bonorum carnifices, quàm impie, quàm impudẽter imprudenterque credulam Germaniæ gentem deceperitis. Fuit inconſyderata leuitas, quod operum curam ex Eccleſia deturbaſtis, & diſciplinam euacuaſtis. Sin minus agnoueritis errorem ſacrilegum, ſed inſuper eum defenſitare perrexeritis, ſcitote nos olim dicturos ἐμ τῆ ἀπωλία ἡμῶν, ἡ οὔτι ἀργῦ οὔτε νυσάζει, αὐτη τοι δίκη ἐσὶ θεῶν, οἱ ὄλυμπον ἔχουσι.

## EX I. REG. LIB.

Cap. I. IMpetrat ardens ac improba Hannę pcatio cũ promiſſione ſiue uoto coniuncta filium, qui tale nomine etiam refert. Operaria eſt iſta mulier, & hoc deo acceptior, hoc ſapientior, deoque plenior, ſicut ode eius loquitur. Huius generis eſt Hanna apud Lucam ca. ij. quæ ſpinæ inſtar eſt in oculis Lu-

lis Lutheriſtarum. Talis eſt Symeon iuſtus apud eundem. Voluerũt illi, proh nephas, collectis operibus in cœlũ ſcandere, uoluerunt cœlum operibus ſoluere, Non eguerunt Chriſto, ipſi ſibi fuere ſaluatores, Ipſi ſibi fuere uia, ueritas, et uita, ô antichr̃ianos papiſtas. Hæc Mimitice dixerim. Nemo om̃ium eſt, opinor, qui dubitet de ſalute parta per unicum Ieſum Chriſtum, Deinde qui neſciat fideles iuſtificatos fuiſſe, hoc eſt, iuſtos à deo pronũciatos habitosꝗ́ ob fidem, quæ ianua eſt ad uitam, ut inquit Chryſoſtomus, Poſtremo qui neſciat fideles ſua opera per donatam gratiam operari, & ea ualere ac prodeſſe propter unicum illud opus ſalutiferæ mortis Ieſu Chriſti, ita ut totum recidat in gloriam unius Chriſti, qui magna ſæueritate iuſſit bene operari, ſi uelimus frui parta ſalute, Atꝗ́ huic conſentit reliqua ſcriptura, tàm legis quàm prophetarum.

Quicunꝗ́ honorauerit me, honorabo eum. Honor dei optimi, maximi, eſt, ſeſe ad rectum conuertere, quod Græci κατορθῶμα, uocant, quo omnia, ut inquit Ambroſius, corriguntur. Heli ſatis credebat, ſatis erat in cultu dei aſſiduus, ſed uitæ communis inſtitutio non congruebat. Nõ erat bonus pædagogus, hoc eſt, neſciebat propriæ domui præeſſe. Ideo dicitur, deũ non honorare, ſed cõtemnere. Porrò magnum eſt à deo honorari, et honorem tantillum omnium maximo honore penſari. O opus bene collatum. Cap. ij.

Promittitur ſalus de manu hoſtium, ſed pœnitentibus et ad dominum conuerſis: Seruite, inquit, ei ſoli, & eruet uos. Quod ad dominum attinet, ſalute non deſtituimur: at cautio eſt, ne nobis ipſi deſimus. Promiſſis ſuis ſtabit deus, tu ui de officij memor ſis. Ne cauſſare uires imbecillas. In domino faciens facies uirtutem. In domino omnia poteris: Nam ipſe operatur in te & uelle & perficere. Liberum tibi eſt Chriſtiane, utro uelis inclinare. Idcirco adijce animum ad Cap. vij.

recta, quæ immortalitas comitatur.

Cap. xxiiij Dominus reddat tibi uiciſſitudinem hanc, pro eo quod operatus es in me. Sic ij. Tim. i. Sepe refocillauit me, &c. Inſtituat nos Dauid, homo ſecũdum cor dei, Is quia male tractatus, benefecit hoſti Sauli, recepit benefacta centuplum in hac uita, & nunc uitam æternam. Huius Ogdoas edocet, quãta cum admiratione nauarit operam iuſtitiæ officijs: De quo ego in Hypodigmatis diuorum ueteris Teſt.

Dominus reddet unicuiq; ſecundum iuſtitiam ſuam & fidem. Tritum eſt: Nullum bonum irremuneratum. Iuſtitia iuſti, inquit propheta, ſuper eum. Porrò maximi atq; excelſi pectoris eſt, hoſti fidem ſeruare, Quam rem neceſſe eſt & ualde deo probari, & ingenti præmio penſari. Notum eſt uel è gentium literis, quãta cura ſemper fidẽ excoluerint uiri integri, adeo ut hanc non pro uulgari numine duxerint, cui nimirum apud Atheniẽſes delubrum fuiſſe legimus, & Romanos eam in capitolio uicinam Iouis ſui eſſe uoluiſſe. Vnde illud Ennij: ô fides alma, apta pinnis & Iuſiurandum Iouis. Hinc Lacæna quedam cum uenderetur, rogata quid ſciret, reſpondit: Fidelis eſſe. Quaſi hac ſcientia nulla maior ſit. Plutarchus in polit. hanc fidem mire predicat: Primum & maximum omnium, inquiens, quæ exiſtimationi bonorum ciuium tribui poſſunt, fides certe eſt, quæ gradum ad agendum conſtituit, & aditum magna capeſcentibus præſtat, propugnat, armat, inſtruit bonos beneuolentia ciuium aduerſus obtrectatores, & ſicut mater ab infante ſuauiter dormiente abigit muſcas, ita liuorem inuidiamq; procul pellit. M. Cicero non ſemel fidei nomine uniuerſam complectitur uirtutem. Vincit uero in fide præſtanda tam græcorum q̃ Romanorum exempla Dauid, utpote qui iuſiurãdi fidem crudeliſſimo hoſti exhibuerit, idq; ut conſeruaret iuſtitiam, ex qua, ut ille ait, boni uiri nominamur, Neq; eñ hanc con-

ſeruare quiuiſſet, ni fidem ſeruaſſet. Nam non eſſe non poteſt ſemper iuſtitiæ fundamentum fides. Quod & Flaccus prope uidit, quum diceret: Iuſtitiæ ſoror incorrupta fides nudaq; ueritas. Hinc extitit nobilis illa pictura, qua uiſebatͣ iuſtitia fidei dexteram ceu ſalutis humanę certiſſimum pignus porrigere, ut eſt apud Valer. Maximum.

## EX II. REGVM.

Benedicti uos à domino qui miſericordiam hanc feciſtis &c. Et nunc reddet uobis dominus miſericordiam & ueritatem. Vides quæ ſit ubiq; ſcripturæ ſanctæ harmonia. Tu modo adnitere, ut eâ ſalubriter utaris. Miſericordiæ opus miſericordiam ſtipendij uice recipit, iuxta illud: Beati miſericordes, qm̄ ipſi miſericordiam conſequentur. Noſti hoc, Adde actionem. Nam citra actionē, nulla uirtutis laus. Cap. ij.

Si forte reſpiciat dominus afflictionem meam & reddat mihi bonum pro maledictione iſta. Tam benignus ac liberalis deus, ut ea quę inſontes patimur, nedum operamur, rependere ſtatuerit. Ignominia, inquit, Salomon, pręcedit gloriam, Et ea gloria, quæ reuelabitur erga nos, longe omnem ſenſum exuperat, nedum afflictionum acerbitatē huius temporis. Roma. xiij. Archetypus huius rei Chriſtus ipſe eſto, qui ob ſupplicium non commeritum in ſummam ſublimitatem euectus eſt. Phil. ij. Quapropter & deus exaltauit illum. Moneo te lector, ut ſcripturam orthodoxe tractes & accurate. Non omnibus datum eſt, in ea inoffenſe uerſari. Elephas enī in ea natat, & agnus peditat. Quod ſcite dixit Gregor. & abunde declarant magnicrepi nouarum ſectarum hereuſtæ. Cap. xvi.

## EX III. REG.

Si ambu-

Cap.iij. SI ambulaueris in uijs meis &c. longos faciam dies tuos. Sic infra cap.ix.& xi.Si coram me ambulas in ſimplicitate(ſiue integritate)cordis rectitudine,ponam thronum &c. Vt inculcet,eatenus ſe pactum nobis ſeruaturum,quatenus nos illi obediamus,liberauit fidem ſuam deus,ſi nos ſcapulam ab eo auertentes parere nolimus.Fidelis enim eſt,ſemet negare non poteſt,obſerua interim has uoces in arcanis literis ad bona bonæ uitæ opera pertinere, Nimirum,ambulare,conuerſari,lucere, induere, currere, ſeminare,audire uocem,Timere deum,ſeruire deo,uoluntatem dei facere,contendere per anguſtam portam,ſermonem ſeruare, pugilem agere,uigilare,ſanctum eſſe, præbere membra iuſtitiæ,fructificare deo,& alia innumera.

Cap.viij. Qui cuſtodis pactum & miſericordiam ſeruis tuis,qui ambulāt coram te toto corde ſuo.Idem.ij.Eſdræ.i.Roborat ante dicta, ne fluctues. In plerophoria ſacroſancti uerbi omnino temet exædifices oportet, ne ceu pluma à quis uentoſo ſcriptorculo huc atq; illuc uectēre.Ibidē uides expreſſa opera bona,pœnitentiam, confeſſionem, precationem,cuiuſmodi ſequitur exauditio & admiſſorum cōdonatio. Diligenter relege textum,& non dubitabo , quin te turpiter ſeduxiſſe phrenetas iſtos querare , quibus ſuum dogma tandem noxæ erit.

Cap.xxi. Nonne uidiſti humiliatum (ſiue ſubditum) Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt à facie mea , non inducam malum &c.Flectitur iratus deus cōpunctione,Ita enim LXX. habēt,de hac ſaluberr.leges apud Chryſoſtomum. Minarum executionem anteuertit humilitas,quę puro cordis affectu exprimi debet,non ſimulato geſtu corporis, aut fracta uerborum uoce, quemadmodum Hieronymus ſcribit. Sic infra de Roboam , Ioſia & Niniuitis , ut pudefiant qui opera ceu infrugifera apud deum ex hominum memoria eijcere

ria eijcere auſi ſunt. Magnifica ſanè opera fuêre Abdiæ œconomi regij, quæ illi indubie tam ad temporalia quàm ſpiritalia conduxerunt. Cap.xviij.

## EX IIII. REG.

OPeraria Sunamitis illa eſt, & factis officioſis ſibi prophetam demeretur, unde poſt filius datus ſterili. Cap. iiij.

Dixit dominus ad Iehu: Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat. Rectius, pro eo quod bene egeris, ut faceres rectum in oculis meis. Atq; ita etiam LXX. Duplicatur faciendi uerbum, ut altius imbibamus ſententiæ ueritatem, & ætiologice præponitur: pro eo q̃: ut diſcamus ab operibus pendere rē, quæ in hoc præcepit deus ut requirat, & ijs exiſtentibus bene nobis ſuccedat. Lutherana ματαιολογία uiderit, quomodo conſiſtat. Nos absq; fuco doloue uerbū dei tractamus, quippe certi, ueritatis eſſe quàm ſimpliciſſimam orationem. Cap. x.

Memento domine quomodo ambulauerim coram te in ueritate & corde perfecto, & bonum coram te fecerim, &c̄. En bona opera. Mox: Audiui orationem tuam, inquit dominus, & uidi lachrymas tuas, et ecce ſano te. En operum reſpectum. Hoc ijſdem uerbis leges Eſaiæ. xxxviij. ut in ore duorum conſiſtat uerbum contra inficiatores, quorum animа nauſeat ad boni operis mentionem, & ad meritorum nomenclaturam deſpuit. Tametſi nunc, ubi ſentiſcere cœperunt Miſergi, q̃ ueritas catholica caput reuelet, os tergunt & dicunt: Non fecimus. Sed ut ſorices produntur à ſuapte uoce, à ſuis deniq; libris, quibus Germaniam obruerunt. Cap. xx.

Pro eo q̃ emollitum cor tuum à uerbis quæ audiſti, & humiliatus es &c̄. Vbique habet Hebræus Iaan. LXX. ἀνθ᾽ ὧν ὅτι, Quod adſcribo, ut in ſententia ſolidere. Humiliatum Cap. xxij.

d miliatum

miliatum cor non deſpicit deus. Bene illi, cui lapideum cor malleus conquaſſat, qui eſt uerbum dei, ut ſubiugetur ſub potenti manu excelſi dei.

# EX II. PARAL.

Cap. xij. ET cũ humiliaretur, auerſa eſt ab eo ira domini &c̃. Etenim in Iuda erant opera bona. Inſtillant nobis ſacræ literæ, q̃ impenſe oblectetur deus humilitatis opere, & quàm perpetuo ad hoc oculos uertat. Præterea addit cur potiſſimum ponat iram ultor dominus, Nempe ob bona regionis opera ſub Roboam. Idẽ infra in Ioſaphat repetitur, ne quis ullo modo dubitaret.

Cap. xv Dominus uobiſcum, Quia fuiſtis cum eo. Si quęſieritis eum, inuenietis. Niſi cum aſpide aures obtures, audis nimirum, q̃ exquiſite noſtros conatus, opera, uigilias ac ſtudia à nobis depoſcat diuina benignitas. Impij uociferantur: dominus nobiſcum eſt, Inuenimus eum, quum ipſi cum eo nõ ſint, nec eum unq̃ quæſierint. Ipſe re præſtabit quod dicitur Emmanuel, Si nos præſtiterimus quod dicimur populus dei, recti corde, Chriſtiani fratres, ſancti.

Et in hoc ſuper te ira domini, ſed bona opera inuenta ſunt in te. Hic obturanda illis rimula eſt, qui dicturi, tam Hebræos q̃ græcos non opera, ſed uerba habere, idq́ tam hic q̃ ſupra cap. xij. Quibus reſpondeo, communi Theologorum conſenſu ſæpe uerbũ pro facto in myſticis literis uſurpari, Deinde debar polyſemon eſſe. Quoniam autem ſępiſſime res ſiue facta ſignificat, non perperam hic opera reddidit Hieronymus, qui ipſe quoq; opinor hębraice calluit. Poſtremo quum opera ipſa mox in contextu ſubijciantur, quę inuenerat in rege, non uideo quomodo quadret, ſi ꝓ operibus uerba ſubdas. Nam ſic habet circumſtantia: Sed bona

opera

opera inuenta ſunt in te ( ſiue tecum ) Quia abſtuliſti lucos de terra, &c̄. Adeoq́ꝫ multa & ea excellentiſſ. opera regis huius in hoc capite legis. Aufer igitur te hinc cum tuis uerbis, quæ ceu folia non magnificat deus, ſi deſint opera.

Paſſim hoc habetur, nempe potentiſſimos factos eſſe reges, eò ꝙ uias ſuas direxerint coram domino, id eſt, quia ueram religionem, iuſtitiam, fidem, liberalitatem, modeſtiam, temperantiam, magnanimitatem, gratitudinem, ſimplicitatem, comitatem exercuerint coram deo & mundo. Cap. xvij

Seruite domino deo patri ueſtro, & auertetur à uobis ira furoris eius. Si enim uos reuerſi fueritis ad dominũ, &c̄. Oĩa tautologicos infarcit, propter iſtos opinor Ergomachos, qui inquietarunt eccleſiam ab initio, id quod ſatis loquitur epiſtola Ioannis & Iacobi. Poſt reuixerunt tales temporibus Honorij & Arcadij, unde in eos coactus eſt ſcribere Auguſtinus librum de fide & operibus præter alia. Nũc orti ſunt bruci, qui corrodunt, quod reliquum fecerant Erucæ atq́ꝫ locuſtæ. Væ inhabitantibus terram à facie ſchiſmatum. Ibidem: Dominus bonus propitiabitur cũctis, qui cor ſuum compararunt ad quærendum dominum &c̄. Hic locus ſanctimoniæ fidelium exteriori nihil detrahit, ſi eum penitus contemplere, præterea promittit gratiam ijs, qui animos ſuos adijciunt ad quærendum cœleſtia. Capi. xxx.

Hic habetur ratio odioſorum operum, deo gratorum, ſui ipſius deiectio, compunctio cordis, lachrymæ, geſtuum etiam & totius corporis pullata quædam ſpecies, quibus rebus interiorem cordis pœnitudinem teſtamur. Potẽtia quidem opera ſunt, ſed fidei Chriſtianæ fundamento nixa. Ca. xxxiiij

## EX ESRA.

Cap.viij. IEiunauimus & rogauimus deum pro hoc, & exaudiuit nos. Multi hodie queruntur, ſe fruſtra precari ad deum, quum pręcones Euangelici ſine fine iterent exauditionis facilitatem, nec quid præter unam fidem ad precationẽ requirant. Solentur igitur tales directores ſui. Nos ſcimus ad preces rite peragendas pertinere præter fidem, ieiunium, eleemoſynam, conſcientiam puram, ſecubitum, animum liberum, ſeceſſum & geſtus illos precantium ſanctorum humilimos atq; religioſiſſimos. Quod dixerim, non quod citra huiuſmodi precatio recta eſſe non poſſit: ſed quod ſciam adminiculis ijs adiunctis, fortiorem, certiorem atq; diuinis auribus oculisq; gratiorem eam fore. Hic ridebunt me Ergomachi uiri illuſores, Sed facile fero, nimirum certus, mecum rideri ſacras literas, quæ & uerbis & exemplis iſthęc tradũt. Exulant talia iam pridem ab iſtorum cœtibus, & ſi quis de ijs rebus in iſtorum ſcholis diſſerere auſit, hunc ab illis eam puto initurũ gratiam, quam is qui in fornice de tẽperantia, et in caupona de ſobrietate conetur uerba facere. Nam ieiunare horrent, ſtipem erogare inutile ducunt, ἀτιμαγιλεῖν neſciunt, Imò ſunt qui peccatum & iniuriam coniugij interpretentur, Conſcientiam negligunt. Qui potiores in eis ſunt, ij conſcientiam quantumuis remordentem ſola fide paſſionis Chriſti ſuſtinẽt aluntq;. Cętera exibilant ut hypocriſes. Atq; tales uocantur nunc Euangelici. Ibidem habes ſic: Manus dei noſtri eſt ſuper omnes quærentes ſe in bonum. Abunde dictum eſt ijs, qui aures audiendi habent.

## EX NEHEMIA.

SI reuertamini ad me, & cuſtodiatis præcepta mea & faciatis ea, etiamſi abducti fueritis ad extrema cœli &c. Hoc è Moſe

è Moſe citauit Nehemias. Demiramur, quod his annis à ſce
lerata gēte Getici iſtius Mahometæ impetimur, & parit iſta
calamitas plurimos turbines in Europa. Multi multa ea de
re diſputant atq; deliberant. Malum non decreſcit, ſed in ſin
gulos fere annos augeſcit, adeo ut iſta ęſtate de filo pendere
hanc orbis partem quidam exiſtiment. Cenſeo ego calami-
tatē infandam bonis operibus poſſe conſopiri, Nam iſthuc
ſcriptura edocet. Armis repelli pōt Schyta, at pie factis po-
teſt is placari deus, cuius forte prouidentia ille in nos ſæuit,
ut per hunc officij commoneamur. Sunt qui oratione ſola
uelint hoſtē fundere. Vidimus eheu qui fuderint. Nam quid
oratio efficiat iniuſtorum atq; impoenitentium? Addamus
fidei uirtutem, addamus orationi opera caſtæ uitæ, & mira-
bor, ſi diu tot funeſtiſſ. bellis concutiemur. Si bona opera
uitam æternam ſanguine ſaluifico partam & ab ipſis auerni
portis ereptam nobis adipiſcuntur, quanto facilius quietem
à barbaris impetrabunt?

Memento mihi domine in bonum, omnium quæ feci Cap. v.
populo huic. O te perditum oſiergum Nehemia, Tun' ope
ra tua deo oſtentas, & uis illū meminiſſe eorum q̄ benefece-
ris? Peccata oſtētas ſtulte, Virtus tua uelamen eſt nequitiæ,
res damnata eſt omnis tua iuſtitia. Apageſis ſanctule: Deus
fidem duntaxat reſpicit, qua ſola gaudet, qua ſola cum eo
agere, qua ſola tū iuſti, tū ſancti nomen mereri te oportebit.
Habes item aliquid de germanica febre. Eiuſdē ordinis eſt
Eſther, quæ meliorem Nonnam q̄ reginam præſtet. Vtitur
fatuo cilicio, luget, affligit corpuſculum inedijs, &c. Certe
non fuit Euāgelica, quemadmodū nec Heſſa illa φιλόπτωχος
Elizabet: Item Phlacilla, uxor Cęſaris, quę nec ipſę intellexe
runt regnum Chriſti, iuſtitiam ſpiritus, libertatem Chriſtia-
nam. Ineptæ fœminæ neſciuerunt opera bona eſſe rudera,
pannum menſtruatæ & nihili.

# EX IOB.

Cap.i. Vide quantum profuerint bonę uitæ opera Iobo. Nam ita ſcribitur: Nunquid Iob fruſtra timet deum? Nunquid tu uallaſti eũ ac domũ eius? Fuit ille uir Tham ueiaſar id eſt, integer ac rectus. Quæ duæ uoculæ paſſim in ſcripturis concurrunt, & ſeſe ueluti oſculari gaudent, ſicut Pſalm. xxiiij. Innocentia & rectitudo adhæſerunt mihi, & Pſalmo xxxvi. Cuſtodi innocentiam & uide rectitudinem, pręterea Prouer. ij. & iij. Reg. ix. Quemadmodũ miſericordia & ueritas, Iuſtitia & iudiciũ ſeſe mutuo reſpectant. Interdum conglutinantur innocentia & puritas manuum. Item iuſtitia & puritas manuum, Graeci ita reddunt, ἄμεμπτος καὶ δίκαιος, id eſt, inculpatus & iuſtus. Neq; enim aliud tota hac deſcriptiũcula ſibi uoluit, q̃ illud: fuit is uir integer uitæ ſceleriſq; purus, ſiue bene beateq; uixit. Iam uero bene beateq; uiuere, ut rectiſſime ſcripſit M. Cicero, eſt honeſte & recte uiuere. Quæ quum ita habeant, non tamen ueritus eſt quidam Lutheriſta in literas mittere, hoc totum de Iobo non de uitæ operibus, ſed de fide intelligendum, quum ex cap. xxxi. ſatis demonſtretur, id quod res eſt. O inſigniter inſignes ſcripturę adulteros. Nemo ignorat fidẽ ijs omnibus factis pręponi. Quæ enim opera hominis fide dei uacui? Propterea tamen non debuit textus peruerti.

Cap. viij. Si mundus & rectus tu, Tunc euigilabit ad te dominus. Non aberrauit Suites ille, nam dicto ſcripturæ ſuffragatur. In hoc errauit, quod Iobi integritati plus nimio detraxit.

Cap. xi. Si iniquitatẽ quę eſt in manu tua elongaueris, &c. Quia tunc leuabis faciem tuam ſine macula. Mox: Et confides, quod ſit ſpes &c. Is eſt periodi huius ſenſus: Si ambulaueris integre, ambulabis confidenter, Prouerb. x. Nam magnam animo fiduciam ac ſolatium addit in aduerſis, uita honeſte

acta,

acta. Tale uocamus puram conſcientiam, de qua Paulus ſemel atque iterum gloriatur. Viderint Miſergi, quam fiduciam ſpemque habituri ſint, ubi euenerit, quod timebant. Scriptum eſt, ſpes impiorum peribit.

Saluabitur (ſiue euadet) innocens, ſaluabitur propter mundiciam manuum ſuarum. Nec longe eſt à ſcopo Themãtes, Nam tota ſcriptura aſſentit. Felix, in cuius animo nulla conſcientiæ labes reſidet. Virtus & probitas ubique ſua habet præconia. Cap. xxij

Adſint qui cum bonis operibus belligerantur, & audiant Iobi uictoris malorum operum triumphos. Bone Chriſte q̃ pulchre inſtituta uiri ſanctiſſimi uita, q̃ bene cõſtitutus animus. Longo interuallo reliquit Socrates, Epaminondas, Phociones, Diogenes, Cleanthes, Epictetos, Curios, Fabricios, Catones, Appios. Hunc hunc imitemur Chriſtiani. Cap. xxxi.

Deus reddet homini iuſtitiam ſuam. Iuſtitię operum retributionem in Luca, in Ezechiele & nullibi non legimus. Sic ait Pſaltes: Et retribuet mihi ſecundum iuſtitiam meam. Epilogus: Totus Iobi ſermo & amicorum diſſertatio Lutheriſmum eneruat & calamum eius defenſorem quatit. Ca. xxxiij.

## EX PSALTERIO.

Beatus uir, qui non abijt in conſilio impiorum, &c. Beatitudo imputatur ijs, quibus nihil eſt commertij etiam cum male operantibus, præterquam quod ipſi non male operantur. Tale præſtitit qui dixit: Cum iniqua gerentibus non introibo. Vide totum Pſalm. c. Paulus denunciat ut nos ſubducamus ab omni fratre, qui inordinate ambulat. De his alias. Lege Baſili. Magn. ſuper iſto Pſalmo & Eraſmum Roteroda. Pſalm. i.

Qui ſaluos facit rectos corde, hoc eſt, qui æquitatem & honeſta- Pſal. vij.

honeſtatem ex animo ſectantur, in quos non cadit iniquitatis ſuſpicio. Pſal. lxxiij. Quàm bonus deus ijs qui recti ſunt corde, id eſt, bonus bonis eſt.

Pſalm. xiiij Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. Reſpondet: Qui ambulat integer, & operatur iuſtitiam. An non totus hic pſalmus manifeſtiſſime uiam indicat, qua eant fideles ad ſuperna? Et quid aliud complectitur, niſi pia piæ uitæ opera? Sed ueritati tam apertæ inuidentes Lutheriſtæ, integritatem iſtam ad fidem retorquent. Ea enim iſtorũ audacia, quam ſapientiã eſſe nõ ita multis ante annis iudicabã. Sic textum fabricantur: Qui ambulat ſine macula, id eſt, qui credit. Qui loquitur ueritatem, id eſt, qui concionatur uerbum dei (Lutheri) ita antea. In conſilio impiorum, id eſt, externis operibus. In ſede deriſorum, id eſt, malorum doctorum. Breuiter omnia ut uolunt & quò uolunt torquent, ut ipſorum iudicio uideatur ſcriptura in Rom. eccleſiam eſſe diuinitus inſpirata.

Pſal. xvij. Et retribuet mihi ſecundũ iuſtitiam meam & ſecundum puritatem manuum mearum. Verba ſunt cuiuis conſpicua. Nec eſt doctiorum qui ignoret quid Hebręis ſonet iuſtitia, quid palmarum puritas. In eodem: Cum ſancto ſanctus eris, Cum uiro integro, integer eris, &c. Quid igitur magis neceſſarium, q̃ ſanctimonia & morum integritas? Socia eſt noſtræ dei ſanctimonia, & prouectrix illius. Quid uero cordis habent, qui clamant, ſufficere nobis uel ἀνοσίοις, Chriſtum ſanctum eſſe.

Pſal. xxiij. Quis aſcendet in montem domini, &c. Reſpondet: Innocens manibus, & puro corde &c. Hic accipiet benedictionem à domino. Secum non pugnat bonus ſpiritus, malus uero nunq̃ ſibi conſtat, ut adparet in ijs, qui omni Empuſa inconſtantiores in ſcribendo ſunt.

Pſal. xviij. In cuſtodiendis illis (uiuendi præceptis) retributio multa. Ea re-

ta.Ea retributio fiet in reſurrectione iuſtorum, Lucæ. xiiij. Nempe quando defecimus,Lu.xvi. Supra:Reddet homini iuſtitiam ſuam.

Quis eſt homo qui uult uitam & c̃.Reſpondet:Cuſtodi linguã tuam.Mox collectim: declina à malo & fac bonum. Si ſapis ô homo,crede potius uni Dauid(per quem ſpiritus dei loquutus eſt. ij.Reg.xxiij.) quam ſeptingentis Belialitis (Baalitæ eſſe nolunt) qui pro libertate dimicantes, in præceps miſerandis modis ierunt. Voluerunt eſſe liberi, & liberi facti iuſtitiæ, Serui uero peccati. Iactarunt iugum diſciplinæ dei,& receperunt iugum diaboli. Si uitam amas in cœleſtibus,cura ut uitam deo conformem hic degas. Memineris ſcriptum eſſe:ſancti eſtote,qm̃ ego ſanctus ſum.Imitatores dei eſtote, ſicut filij dilecti. Salus tibi magno empta eſt,& gratis oblata, tu uide ne negligas donũ, ne in uanum receperis gratiam. Pſal.xxxiij.

Ibidem: Humiles(ſiue contritos ſpiritu) ſaluabit. Salus ubiq; offertur ijs, in quibus ineſt cor fractum, quaſſatum, preſſum,Pſalm.l.Eſa.lvij.& lxvi. Porrò tale cor parat crux, & res aduerſæ, quibus dolamur & urimur ad uoluntatem patris cœleſtis adq; ſalutem noſtram.

Clamauerunt & ſalui facti ſunt.Ita Pſal.liiij. De precatione ſupra.Hæc,clamor dicitur ob uehementiam atq; impetum ardoremq;,& is demum diſcindit nubes, uſq; ad thronum gratiæ penetrat,& exorat. Pſal.xxi.

Cuſtodi uiam eius & exaltabit te, ut hæredites terram. Hoc eſt,conuerſare ſecundum beneplacitum dei, morẽ gere deo,& ſenties emolumentum hic & illic. Pſ.xxxvij.

Beatus qui intelligit erga egenum & pauperem, in die mala liberabit eum dominus.Clara uerba audis,tu fac et uiues.Ibidem: Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti,Siue,Me autem in innocentia mea ſuſtentaſti. Pſalm. xl.

c Qui

Pſalm. xc. Qui dilexit me, eripiam eum, Dilectio dei procurabit tibi ô fidelis proſpera.

Pſal.lx. Dabis hæreditatem timentibus nomen tuum.

Pſalm. cij. Bonitas eius ſuper timentes eum, Item cuſtodientes fœdus eius, & recordantes mandata eius, ut faciant ea.

Pſal. cxviij Miſerere mei ut ſoles eorum qui diligunt nomen tuum.

Pſal. Cxlv Facit uoluntatem timentium ſe & exaudit eos.

Pſal.i.xlvi. Beneplacitum eſt domino in ijs qui timent ſe, &c.

Pſ.lxxxiiij. Prope timentes ſalutare ipſius.

Obſecro catholicos per aduentum domini, ut ſerio metum dei, qui ſapientiæ initium, addiſcant. Præſtat ille ut deo qui te creauit redemitq́ religioſe ſeruias. Præſtat item, ut uitam bonam ingrediare, & q̃ plurima, q̃ eximia, q̃ ſaluberrima operere. Quin efficit ut ne libeat quidem peccare, etiam propoſita impunitate. Huius encomion lege apud Syrach cap.i. Moneo Schiſmaticos, ut agnito errore, ueritatem honorent, & deſinant in cœlum expuere. Satis audiuimus Crede, Quando audiemus Time, ama, operare? Imò & nos, inquiunt, docemus opera, ohe, ἄπωσζιϛ. Totus id orbis nouit. Nunc tandem incipiunt quidam operum & uitæ alicubi mentionem facere, ſed leui admodum brachio. Satis dolet, quod operandi uocabulum nominare oportet, nempe quod antea toties plenis buccis uituperarunt. Sed oportet, ni uelint propediem è Chriſtianis qualibuſcunq; paganos manifeſtarios. Dicunt nunc, quoties reprehenduntur iniuriæ bonis operibus illatæ: Quomodo intulimus iniuriam? Non ſecus ac illi apud Malachiam, qui de polluto pane reprehenſi, impudenter reſponſabant: In quo polluimus? Malunt enim contentioſi frontem perfricare, quàm peccatum agnoſcere, quaſi uero non palam ulciſcantur ſui contemptum ac neglectum opera, dum nemo ferè omnium ea curat, ut nihil dicam de libris, diatribis, ſermonibus, quorum

nulla

nulla eſt pagina,in qua opera non iugulentur.

Dedit illis regiones gentium,ut ſeruent præcepta &c. Pſalm.cv.

Si populus meus obediſſet mihi &c. Tunc (ſiue uelut modicum)inimicos eorum humiliaſſem. Pſal.lxxxi.

In quo corriget (ſiue purgabit) adoleſcens uiam ſuam? Pſal.cxviij Reſpondet:Si ſe gerat ſecundum uerba tua. Gloriantur illi: fides purificat corda. Actu.xv. Recte. Dominus recepit impuros gentiles in album eccleſiæ, propterea quod crederent,cuius fidei gratia purificauit & iuſtificauit eos,ut abſq; circumciſione(quam urgebant iudaizantes fratres) pateret eis aditus. Hic ſenſus loci eſt, Igitur ne poſtea non purgat conuerſationem noſtram obſeruatio uerbi dei? E Petro liquet animas caſtificari obedientia. Num & hoc falſum te iudice? Ad eum modum gloriantur,per fidem ſolam nos eſſe filios Abrahæ & Saræ. Atqui Petrus & benefaciendo dicit mulieres filias Saræ,Hoc eſt,liberas fieri.

## EX PROVERB.

CVſtodi legem meam &c. Tunc ambulabis confidenter. Cap.iij. Supra in Iob eandem ſententiam audiſti, Nec enim facile perterreſit, qui operatur iuſtitiam. Gerit animum in aduerſis optime conſtitutum. Fruitur recti cõſcientia, quæcunq; tandẽ mala ingruant. Cap.xxviij. comparatur talis Leoni,qui ad nullũ crepitaculum commouet, quẽ neq; mors neq; uincula terrẽt. Hoc ſenſit Hora. Ode xxij. O non referendã innocẽtiæ uim. Porrò lex lux eſt ca.vi. uide Pſal.xviij.

Beati qui cuſtodiunt uias meas, hoc eſt, qui probis ſunt moribus. Cap.viij. Ibidem: Ego diligentes me diligo. Contra crudos, qui ſe ſuaq; & terrena modo diligentes, mira iactant, q̃ti fiant apud deum, et q̃ ualde ab eo diligantur ob fidẽ nudam.

Iuſtitia innocentis dirigit uiam eius. Ibidẽ: Seminanti iu- Cap.xi.

ſtitiam, merces fidelis. Ibidem: Semen iuſtorum ſaluabitur. Ibidem: Voluntas dei in ijs, qui integre ambulant, Sic Pſal. cxlvi. Vel uno ex his capite refutandum erat dogma, ab orco reuocatorum prædeſtinatorum. Deus, inquiunt, neq; ad probos neq; ad improbos reſpicit, ſed ad tenentes uerbum. Hæc eſt margarita è multis electiſſima. Igitur ô bone coram deo nihil retulerit, probus ne, an improbus uiuam, mō uerbum teneam? Et quid quæſo uerbum ſine fructu facti? An ſecundum uerbum iudicabit deus orbem terrarum, & non potius ſecundum factum uel probitatis uel improbitatis? Sed ualeant mendacia uatum.

Cap. xvi. Miſericordia & ueritate redimetur (ſiue remittetur) iniquitas. Hic ille unguis in ulcere Lutheriſtarum. Nam quid eſt miſericordia (ſiue beneficentia) & ueritas, niſi opus? Et iſtud opus efficit, ut dominus propitietur peccato operantis. Huc pertinet, Remitte & remittetur tibi. Item: Remiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multū. Pudeat igitur uos uulpes ueſtri nugamēti, quippe qui negatis ad remiſſionem peccatorum ualere bonum credentis opus, quom ſine bono opere non ſit remiſſio peccatorum. Miraris? At aſpice textum Matth. xviij. ubi dicitur: Si uos non remiſeritis, nec pater meus cœleſtis remittet uobis. Iam remiſſio fraternę nōxæ, opus eſt, q̄d hic dicitur Miſericordia & ueritas. Requiritur ergo opus ad remiſſ. pecc. Vide Danie. iiij.

Cap. xix Qui cuſtodit præcepta, is cuſtodit animam ſuam. Ibidē: Timor domini ad uitam. Timet autem, qui ſeruat mandata, atq; ita mandata dei uita æterna ſunt, Ioan. xij. Ibidem: Qui miſeretur pauperis, fœneratur domino, qui uiciſſitudinem ſuam reddet illi. Matt. xxv. Venite benedicti: Eſuriui enim. Luc. xiiij. xvi. Supra capi. xiiij. Qui miſeretur pauperis, ſaluus erit.

Ca. xxviij. Qui ambulat integre, ſaluus erit. Vbi eſtis qui quoties ſi

dei fit mentio, excluditis opera? Iſthuc ſi licet, licebit & mihi his locis innumeris excludere fidem. Sed amens ſim ſi hoc fecero. Nolim enim, ita me ſeruet Chriſtus, operum amore, fidei, quã æque amo, tãtillum detrahere. Fides pars ſalutis eſt, non totum. Fides oculus eſt, quo coram cerno oblatam ſalutem, opera uero manus ſunt, quibus apprehendo. De uita æter. apprehendenda uide Paul. Breuiter adime fidei uitam euangelio dignam, & ipſam ſalutem ademeris.

Beatus qui cuſtodit legem &c. Cuſtoditur autem operibus ab affectu profectis. Dat affatim uim deus, ſi rite poſtules, qua poſcis cuſtodire legem. Ne uidear ſuperſtitioſius omnia uelle congerere, quæcunque aſtruant bonorũ operum dignitatem iuxta ac neceſſitatem, decreui manum de tabula tollere, maiorem locorum partem, tam in pſalmorum quàm prouerbiorum libro intactam relicturus. Cap. xxix.

## EX ECCLESIASTE.

QVi cuſtodit præcepta, nõ experietur (ſiue non ſciet) quicquam mali. Ibidem: Ego cognoui, quod erit bonum, Timentibus deum, hoc eſt, pie colentibus, iuxta Gregor. Neocæſari. Cap. viij.

Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas, Hebraice, ſuper faciem aquarum, Quia in multitudine dierum inuenies illum. Gregor. Neocæſar. in Metaphraſi: Iuſtum eſt, panem & cætera huius uitæ neceſſaria communicare hominibus, tametſi periturum uideatur beneficiũ, ac ſi quis in aquam proijciat panem. Apparebit autem procedente tẽpore, non inutilem tibi fore miſericordiam. Deum time & præcepta eius ſerua. Quia hoc omnis hominis. Admirabili anacæphalæoſi opuſculum hoc (quo nos à cura mundi huius auocat) finit uir ſapientiſſ. Ita totum legis Moſaicæ uolumen contra Cap. xi.

xit dn̄s ijs uerbis: Diliges dn̄m deum tuum ex toto cor. tuo, & prox.t.In his pendet lex & prophetę. Itidē Ioan.xiij.Hoc eſt præceptum meum,ut dilig.Et in epiſt.cap.iiij.Compendioſiſſime Paulus: Cōſummatio legis eſt dilectio. Gaudent & prophetæ talibus epitomis.Dauid: Declina à malo & fac bonum.Micheas:Indicabo tibi ô hō quid ſit bonum & qd à te requirat dn̄s &c̄.Zacharias : Hæ ſunt res quas facietis, &c̄.cap.viij.Quin ipſe quoq; Moſes epilogicōs dicit Deut. x.Et nunc Iſrael quid dominus d.t.à te petit,niſi, &c. Ibidē: Quia omnia opera adducet deus in iudicium pro omni errato,ſiue bonum ſiue malum. Erratum accipitur hic pro omni actione, quam uel neglecte uel ſecrete deſignauimus. Quod præter Hebræum, L X X. quoq; ſubindicant, qui habent παρεωραμένῳ,id eſt,re quapiā neglectim cōtemptimue peracta.Hoc dicto ceu fuſte impellit nos ad bonorum operum ſtudia.Fœlicem,qui uirtutis amore potius q̄ pœnę formidine animum ad recta adpellit.

## EX SAPIENTIA.

Cap.v.x. IVſti in perpetuum uiuent,& apud dominum eſt merces eorum. Vita æterna mercedis loco rependetur, Iuſtis,id eſt,ijs qui cum fide coniunxerunt officia charitatis.

Cap.vi. Qui cuſtodierunt iuſtitiam,iuſte iudicabuntur. Græca uariant: Qui ſancte cuſtodiunt quæ ſancta ſunt, ſanctificabuntur. Amoue hinc ſentimentum Lutheranum quod ſine fronte introduxerūt,Nempe iuſtitiam & ſanctitatem fidem eſſe,& iuſtos ſanctosq; fideles eſſe duntaxat interpretantur, foras eiectis miſeris operibus, quibus in iſto regno (quemadmodum Iunoni propter pellices in Iouis regia, ut habet Tragœdia) nullus eſt locus.Feruntur ibi citius quæuis uitia, quàm bona opera.

Erunt

Erunt accepta (deo) opera mea. Verba Solomonis, ſiue quiſquis author libelli optimi eſt. Si accepta deo opera ſunt, mentiuntur ſcholiaſtæ. Sin ij uerum dicunt, mentiuntur ſacræ literæ à deo inſpiratæ. Cap. ix.

Cura diſciplinæ dilectio eſt, Dilectio uero obſeruatio legum eius, Porrò attentio legum cõfirmatio incorruptionis eſt, Incorruptio autem propinquum facit deo. Ita enim habet ad uerbum è Græco. Climax eſt perq̃ eruditiſſ. Scandit autem à diſciplina ad ipſum uſq; deum. Tu ſingula excute. Videbis loci fœcunditatem. Capi. vi.

# EX ECCLESIASTICO.

Timenti deum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Græce, inueniet gratiam. Locus longe pulcherrimus, & dignus quē animo inſculpas. Omes nobis metuimus ab ultima rerum linea, Sed eum metum expellet dei metus. Metue deũ & liberabere metu mortis. Hui quot & quanta pietatis Chriſtianæ commoda. Cap. i.

Qui diligunt deum, conſeruabunt uias eius. Nam dilectio dei ocioſa nunq̃ eſt. Fons ea eſt, è qua cuſtoditio precептorum dei, id eſt, uirtus & probitas profluit. Ibidem: Qui timent dominum, requirent beneplacitum eius. Mox: Qui timent dominum, cuſtodiunt mandata eius. Cæterum tametſi hoc poſterius non eſt de græco, confirmatur tamen infra, ca. xv. ubi legis: Qui timet deum faciet bonum. Si obſeruatio uiuendi præceptorum, non dico toties, ſed ſemel aut iterum fidei uẽdicaretur, immane, q̃ tumultuaturi eſſent deplorandi ergomachi. Te pie lector à ueritate textus nemo tranſuerſum rapiat. Cap. ij.

Eleemoſyna patris tui non erit in obliuione. Vide reliqua. Sunt huius generis loci q̃ plurimi, ſed nos paucis in præſentiarum Cap. iij.

ſentiarum cõtenti erimus. Qui paucis diffidit, huic ne multi quidem fidem fecerint. Ad hæc nolui excerpere, quæ in Græcis non habebantur.

Ca. xxxv. Beneplacitum eſt domini, apoſtare à malo. Mundi ſeruis diſplicet, ſi non unà cum eis accurras ruasq́ de ſcelere in ſcelus. At deo ceu gratiſſ. uictima placet, ſi ualedicas ueteri conſuetudini, in qua ſeruiebas immundiciæ, uentris ac gulæ mancipium.

Ca.xxxiiij. Timentis deum beata anima eſt. Ibidem: Oculi domini in diligentes ſe. In pſalmis dicuntur oculi domini in iuſtos, & timentes, ut confuſione operiantur, qui in ſolos credentes reſpicere oculos domini docuerunt, freti loco Hieremię, qui tamen nihil pro illis facit, ut uidebimus.

Cap.li. Operamini opus ueſtrum ante tempus, & dabit uobis dominus mercedẽ in tempore ſuo. Dictum ſapienti ſat eſt. Aperta ueritas eſt cuiuis: Erimus inexcuſabiles, quum uenerit ad iudicandum dominus.

## EX TOBIA.

EGregie operarius Tobias erat, dum uixit. Intellexit uir cordatus, non ſuperuacaneum fore, quicquid tam in contribules q̃ allophylos munificentiæ conferret. Erat polynctor indefeſſus, quod opus ſummam hominis pietatem conteſtabatur, & erat hoc præclarius in oculis dei, quo deſpectius in oculis mortalium. Erat cruciger. Vides enim quę ſubierit pericula propter tam feruidam bonorum operum peractionem. Paſſus eſt ſibi diripi ſubſtantiam: Reſpectum enim habebat remunerationis. Ipſe nuſquam tutus ob iuſtitiã: dat pœnas laudata fides, ait ille. Erat ille eleemoſynarius inexhauſtus, nec hoc fruſtra. Erat pędagogus religioſiſſ. atq́ utinam hũc q̃ Heli Silonitem imitari mallemus, Erudi filiũ, inquit,

inquit ſapiens rex, & refrigerabit te. Vide Pædagogiam Chriſtianam apud Paulum, Ephe.vi.Col.iij.

Quoniam memor fuit domini in toto corde ſuo, dedit illi gratiam coram rege Salmanaſar. (Cap.i.) Quamuis in græco prior loci pars deſyderetur, haud tamen obſcurum, quoties in ſcriptura iubeamur memores eſſe dei noſtri in omni uita, & fore, ut noſtri quoq; memoriam non abijciat. Chriſtianus nunquam non circumfert deum ſuum in animo, hunc honorans, hunc amans, hunc metuens, hunc laudans, hunc imitans, hunc zelans, huic fidens, huic adhærens, huic in omnibus gratias agens.

Hoc pro certo habet omnis qui colit te &c. (Cap.iij.) Non inueni hanc ſententiam in fonte græcorum, nec minus tamen reliquis ſcripturis affirmatur. Vide ij.Timoth.ij.Iaco.i.Apocalyp.ij.

Noli auertere faciem tuam ab ullo paupere, & à te non auertetur facies domini. (Cap.iiij.) Iuxta illud: Date & dabitur uobis. Reddetur pro aurichalco aurum ophir, proq; uitro uili pręcioſiſſ.gemmæ. Mox: Eleemoſyna liberat à morte, & non ſinit intrare in tenebras. Hoc Daniel.iiij. roboratur. Ibidem: Fiducia magna erit coram ſummo domino eleemoſyna omnibus facientibus eam. Græci pro fiducia magna, donum bonum habent. Vtrūq; defendit opera, ſi uerba perſpicias. Quod latinus habet, non patior refelli, quum aliunde etiam nobis perſuadeamus, fiduciam animis addere recte factorum conſcientiam. Non metuit Nemeſim mens recti conſcia. In Canonica Ioannis adſcribitur charitati fiducia, qua utamur in die iudicij, & ſine metu queamus conſiſtere. Et ſupra audiſti eum fiducialiter ambulare, qui cuſtodiat legem diuinam, Prouer. iij. Ad hæc Pro.i. dicitur obediens uerbo ſapientiæ fiducialiter quieſcere, ſineq; mali formidine, quæ nimirum incutitur operantibus malum, Cap.x. Rurſus ca-

pi.xiiij. In timore domini fiducia fortis. Vide Iob.xi. Ibidē: Contingent tibi multa, Si metueris deum & receſſeris à peccato, & feceris &c.

Cap. xij. Bonum eſt, oratio cū ieiunio & eleemoſyna & iuſtitia. Mox: Eleemoſyna à morte eripit, et ipſa repurgat omne peccatum. Rurſus: Facientes eleemoſynas & iuſtitias implebuntur uita. Hæc non faciunt ad Bacchum ſectæ miſergæ. Qui uere pius eſt, is ſcripturam hac parte non reijciet.

# EX IVDITH.

MVlier operum longe ſtudioſiſſima atq; abundantiſſima Iudith, uere impleuit, quę apoſtolus de uiduis ſcribit, i. Timoth. v. Vides q̄ crebra mentio his in libellis fiat pœnitentiæ, ieiunij, planctus, cilicij, uigiliæ, precationis, ſqualoris, afflictionis, lachrymarum &c. quæ cum fide copulata fregerunt iram Altifrementis dei noſtri. Hoc ſupra in Regibus ſatis cōprobatum, ſi huic libro ceu apocrypho (qui tamen ex axiopiſtis eſt) minus fidas. Porrò Monogamiæ exemplum in ea muliere proponitur, quæ & ipſa ex Eccleſia pulſa eſt, ne quid ſupereſſet ueteris diſciplinæ, inducta heptogamia. Nunc anus quoq; capulares hyrciſſant, atq; rugarum ſimul & laudatæ continentiæ obliuiſcentes, maritos emunt. Nam in Lutheri regno nemo cum laude uiuit, niſi coniunx, Sicuti contra apud Cataphrygas & Encratitas nemo niſi cælebs. Atq; ita labuntur ſectæ imprudentes, aliæ ad dexteram, aliæ ad læuam. In medio conſiſtit ſemper ueritas eccleſiæ dei. Medium ſemper tenuēre beati.

# EX ESAIA.

Ferant

FErant & prophetæ teſtimonium uerbo ueritatis, quod aſſerit operum pondus,idq́ contra eos, qui ea,dum uo luerunt uideri inſignes Gratiæ præcones, è medio ſuſtulerunt. Enarrarunt contra opera & contra eadem tranſtulerunt ſacra Biblia,ut imperitis lectoribus comam circumton derent.Si aſpirarit Chriſtus,oſtendemus Eccleſiæ filijs,qua fide utriusq́ Teſt.libros tranſtulerint, ut tandem pennas ſuas demittant ſuperbiſſimi Moabitæ, ut tandem,inquam, uideat orbis,quales ſint,qui præ ſe damnare non dubitarunt & uiuos & mortuos,quotquot ab initio Eccleſiæ conſtitutæ atq́ ſub omni cœlo & ſunt & fuerunt.

Laudate,Mundate,&c. Ceſſate male agere, diſcite bene agere.His ſubiungitur:Si fuerint peccata ueſtra quaſi filum coccineum,quaſi nix alba erunt. Peccata pœnitentibus remittuntur,& non ijs qui peccata peccatis accumulant. Vide rint igitur qui ſaxonico Euangelio edocti ſic dicere ſolent: Quid doleam?Peccata credentibus nō imputantur.Omnia cooperantur nobis in bonum,etiam peccata. Mundis mun da omnia. Tegit deus peccata ſuorum, ſuſtulit ea ſuper lignum.Atq́ interim fortiter peccare pergunt. Norunt Catholici, Chriſtum dei filium ueniſſe uocare peccatores, ſed ad pœnitentiam,Matth.ix.Citra quam omnes peribunt,Lucæ.xiij.Qui dei ſunt,diſcedunt ab iniquitate,ij.Timo.ij.Imò crucifigunt ſemet,Gal.vi.Tantum abeſt,ut tam proterue in dicam Chriſti ſemel paſſi peccent,& ſibi in peccando blandiantur. Cap.i.

Ibidem:Si uolueritis & obedieritis,bonum terræ comedetis. Et fortunis noſtris prodeſſe cultum iuſtitiæ. Verum hoc non magni ducit Chriſtianus,contentus æterna fœlicitate.Hanc quærentibus & iuſtitiam eius, uictus ueſtitusq́ ultro adijcitur.Gloriam,potentiam, opulentiam, ſplendorem,ſtrepitum pompaticum,uoluptatem, lætitiam,pacem,

& quicquid huius eſt quod Mundani expetunt, nos in cœlis expectamus. Cap. iij. Dicite iuſto, quia bonus, quia fructum ſtudiorum ſuorum comedet, Das iſt, vver do recht thut, der ſols genieſſen.

Cap. xlv. Conuertamini ad me, & ſalui eritis. Cōuerſioni, hoc eſt, operi, quo animos ad deum, ab omni quod non eſt deus, mature flectamus, ſalus ſæpe attribuitur, Item uita Ezechie. xviij. Porrò non ſatis eſt conuerſum eſſe ab infidelitate àcp idololatria, ni à turpitudine etiam uitæ conuertaris. Conuerſus erat Ananias à Iudaiſmo, ſed non à pecuniæ ſtudio, ideo à ſalutis uitæcp ſpe decidit, Actu. v. Ne erremus fratres, deus non irridetur.

Ca. xxxiij. Quis noſtrum cohabitabit igni deuoranti? Quis noſtrum cohabitabit focis æternis? Hoc eſt: Quis nam ſaluabitur? Ignem hic deum dici ex Deut. iiij. & Hebræ. xij. ut putat Haymon non malus author. Reſpondet ipſe ſibi: Qui ambulat in iuſtitia, & loquitur recta, Qui reſpuit in auaritia calumnias, Qui excutit manus ſuas, ne ſuſtineāt donum, Qui obturat aures ſuas ne audiant ſanguinem, et qui claudit oculos ſuos ne uideat malum. Eius formæ quæſtio de beatitudine eſt, quales habuimus Pſalm. i. xiiij. xxiiij. et xxxiij. Quibus locis docemur fructus ſpiritus, & pariter dedocemur opera carnis. Vtinam attendiſſes ad præcepta mea, & fuiſſet ſicut flumen pax tua &c. Vtilitas multiplex ſequitur opera præceptorum, quæ quia negligis, careas neceſſe eſt.

Cap. lv. Derelinquat impius uiam ſuam, ac conuertatur ad dominum, & miſerebitur eius. Impius opponitur iuſto apud Hebræos, quod & Paulus innuit, quando ait: Ex fide iuſtificans impium. Via impij eſt, uita iniuſtitiæ, & uitijs cooperta conuerſatio. Ab ea reſipiſcens experietur miſericordiam boni dei.

Cap. lvi. Beatus homo, qui faciet hoc, Nempe, qui cuſtodit ſabbatum,

batum,ne prophanet illud,& qui cuſtodit manum ſuam ne faciat omne malum.Sabbatizare Chriſtianis eſt,à peccando quieſcere, non exequi ſuam uoluntatem, hoc eſt, deſyderia carnis, Eſa.lviij. Qui ita feriatur beatus erit. Orige. in Exodo: Si deſinas ab omnibus ſæcularibus operibus, & nihil mũdanum geras, ſed ſpiritualib. operibus uaces,ad eccleſiã conuenias, lectionibus diuinis aurem præbeas, de cœleſtibus cogites,de futura ſpe ſolicitudinem geras, uenturum iudicium præ oculis habeas,non reſpicias ad præſentia & uiſibilia,ſed ad inuiſibilia & futura.Hæc eſt Chriſtiana obſeruatio ſabbati.Auguſtinus ait:Male celebrant ſabbatum,qui à bonis operibus ceſſant.Ocium enim ab iniquitate debet eſſe &c.Item:Nos ab omni ſeruili opere,id eſt,ab omni peccato abſtinemus &c. Vere ac uenuſte dixit quidã: ἀνάπαυσις τῶν κακῶν ἀπραξία.

Frange eſurienti panem tuum,et pauperes uagos induc in domum. Quum uideris nudum, operi eum &c. Tunc (nonnulla omitto)ibit ante te iuſtitia tua, id eſt, hæc faciens ſub fide iuſtus pronunciaberis.Mox:Tunc clamabis & dominus exaud. Vides,niſi planè lippis,non ſolum eſſe facienda opera bona,uerumetiam magni referre ut facias, & magnificum coram deo eſſe,ſi facias. Nam eapropter habes iuſtitiam coram deo, Deute.vi.xxiiij.Pſalm.cv.Ezechie.xviij. i.Ioan.iij.Iaco.ij.& preces tuæ efficaces ſunt.Aures enim domini in preces iuſtorum inclinatas eſſe Pſaltes canit. Cap.lviij

Habetur locus,quem Apoſtolus de inaudita,inenarrabili & incomparabili gloria æternæ uitæ citat,quę parata ſit diligentibus deum.Huius gloriæ meminit, Rom.viij.ij.Corinth.iiij. i.Theſ.ij.&c. Audis igitur ſeu gloriam,ſeu uitam, ſeu hæreditatem,ſeu cœlum, ſeu patriam, ſeu ciuitatem manẽtem,ſeu regnum,ſeu remunerationem, ſeu coronam, ſeu brabion, ſeu æternum tabernaculum, ſeu paradiſum dicas, Cap.lxiiij.

o iij contin-

contingere dilectioni, quam fides preceſſit. Sic ij. Timo. iij. Coronam dabit omnibus diligentibus. Iac. i. Quam promiſit ijs à quibus fuerit dilectus.

Capi. lxvi. Ad quem reſpiciam? Reſpondet: Ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos. Quare ergo fabulantur uoluptarij concionatores, deũ præter fidem nihil reſpicere? Ani eum proprie Hebræi uocant, quem nos miſerum ſiue infœlicem dicimus, hoc eſt, eum, qui uel præſidio uel ſolatio deſtitutus, uel corpore afflictus, uel ſiniſtra fama læſus, uel re familiari exutus, uel quibuſcunq; incommodis oppreſſus atq; humiliatus eſt. Iam qui talis eſt, in eo ineſt cor Neche, id eſt, fractum ac ueluti contuſtum ab aduerſis & ſeſe præmentibus atq; exulcerantibus malis. Porro quem ad eum modum macerant & excoquunt uitæ iniuriæ, is ſi fidelis eſt, non ſpernit uerbum dei, ſed tremit obſtupeſcitque ad auditum eius, nimirum ſentiẽs uim eius exertam inquaſſato corde, in quod facilime illabitur. Sic Dauid: Bonum mihi quia humiliaſti me, Nempe ut diſcam iuſtificationes tuas. Experimento iſthæc rectius capiuntur. Proinde hic locus non ad operantes, ſed ad patientes ac malis uitæ huius humiliatos pertinet, quos dominus æque reſpectat, amat, ſubleuat.

## EX HIEREMIA.

Cap. iij. Conuertimini filij auertentes &c. & aſſumam uos. Item, & non auertam faciem meam à uobis. Item, & ſanabo auerſiones ueſtras. Quo crebrius iterat, illud Schubu, id eſt, Redite, miſericors pater, eo durius cum eis agetur, qui redire noluerunt. Auferentur omnes excuſationes, Nullus erit locus ſupplicationibus. Dicetur: Moſen & Prophetas habuiſtis. Heu ſomnum humani pectoris altiſſimum. Sed terreat

incuriam tuam Au. Auguſtinus: Apud inferos erit quidem pœnitentia, ſed ſera, ideo infructuoſa. Vis ut ſit fructuoſa, uide ne ſit ſera. Hodie te corrige, dum uiuis. Nam qui iudex tuus futurus eſt, ipſe hodie tuus aduocatus eſt.

Ablue à malitia cor tuum, ut ſalueris. Salus erit non malis corde, ſed bonis corde. De cordis radice exit uel bonum uel malum, idcirco curãdum, ut ſi bene operari uelimus, bonum cor reddatur. Ora: dñe cor bonum crea in me, Transforma impurum cor in purum. Adime cor lapideum, & da carneum. Exculpe è prauo cor rectum. Cæterum ſunt, qui freti lotione baptiſmi, nihil amplius curent: Sunt qui putent ſe à gehenna tutos ob bapt. dicentes: Benedictus deus, baptizati ſumus. Nouę uitę interim nulla ratio. Quum ad hoc baptiſmus ualeat, uel Auguſtino teſte, ut baptizati Chriſto incorporentur, ut membra eius habeantur, ut conſepeliantur. Iam quomodo cadunt flagitia in eum, qui eſt Chriſto inſitus, cum Chriſto mortuus, cum Chriſto ſepultus, cum Chriſto in nouitatem uitæ excitatus? Ea nũc baptizatorum uita eſt, ut optandum ſit, quo aliqui, ſi non ſecundum ſpiritum, ſaltem κατὰ φύσιν uiuerent (quam S. Ambroſius honeſtatis formam, M. Tullius optimum uiuendi ducem appellat, hanc, inquiens ille, qui ſequitur, nunquam aberrabit) & eſſent homines, ſi non uſqueadeo Chriſtiani. Tametſi ego nomẽ Chriſtiani nulli inuideo, nec author eſſe uolo, ut hoc ulli baptizato adimatur, non tam ob fidei Chriſtianæ dignitatem, q̃ ob ſtimulos quoſdam, quibus multi impelli ſolent ad officij conſyderationem, ſi tanto titulo compellentur. Cap. iiij.

Domine, an non oculi tui ad fidem? A deo placent Opt. Deo recte facta & ſeruata fides, ut hic polliceat̃, ſe toti Hieroſolymæ peccatrici propitium fore, ſi uel unus uir in ea reperiatur, qui recte faciat, fidem præſtet. Nam etſi ſint, qui uideantur fidẽ mutua pollere, præſertim ij qui ſancte deierare ſo- Cap. v.

rare ſoleant: Hai Adonai, falſum tamen eſſe iuſiurandum, quod uidelicet fide careat. Quorſum enim conducit iuſiurandum, ſi deſit iuſiurandi fides? Perpendens igitur propheta, q̃ rara in ſua gente uirtus ſit, præterea quanta inundent periuria, quantæ fraudes: & contra quàm deo probetur ſeruata fides, uelut obſtupeſcens erumpit in hanc uocem: Domine an non oculi tui ad fidẽ ueritatemq́ꝫ uerſi ſunt? Quaſi dicat: Næ tu domine reſpicis q̃ fideliter pactum atq́ꝫ amicitias mutuo ſeruent, & non q̃ ſancte iurent. Vis ut ſit ratum uerumq́ꝫ, quicquid alter alteri promittimus, utq́ꝫ ſit dictum ac factum. Vis ut abſit dolus, hypocriſis & circumuentio à fratribus &c. Et ô uirtutem eximiam, ſine qua nimirum orbis: ut ſapientes exiſtimant: unum diem ſtare non queat. Vnde uere dictum ab Anneo Seneca, nempe fidem eſſe ſanctiſſimum humani pectoris bonum. Diximus nonnihil de hac fide ſupra i. Reg. xxiiij. Docet igitur hic locus, quanti momenti apud deum ſit integritas & fidei exhibitio & ueritatis cuſtodia, ſine qua nomen amicitiæ ualere nõ poteſt, nec fraternitatis, quæ inquam arcere poſſunt à populo plagas dei. Cohibere poteſt iram dei ultricem iuſtitiæ cultor, rigidi ſeruator honeſti. Simile propemodum legis, Gen. xviij. Porrò ubi nos fidem, legit Symmachus, Hieronymo teſte, ueritatem. Vtrunque enim reddit Aemunah, id eſt, certa ueraq́ꝫ ac rata fides. Et Lyranus hoc loco exponit fidem, id eſt, mentis fidelitatem, non tantum uerba. Idem ſept. cap. perijt fides ſic interpretatur, perijt fidelitas populi erga deum & hominem, Nec ualde meo quidem iudicio delyrat.

Cap. vij. Bonas facite uias ueſtras, atq́ꝫ opera ueſtra, & habitabo uobiſcum. Intelligis opinor emphatice iſtis in locis accipi copulatiuam: Et ſic ſupra ſæpiſſime acceptum uidimus. Ibidem: Obedite uoci meæ, & ero uobis deus. Ad eũ modum Cap. xi. Audite uoc. meã & faci. &c. & eritis mihi in ppl'm.

Si pœniten-

Si pœnitentiam egerit gens illa à malo ſuo &c. Cap.viij.
Facite iudicium & iuſtitiam, liberate ui oppreſſum &c. Cap.xxij
Si facientes feceritis uerbum iſtud, ingredientur &c.
Reuertimini unuſquiſq; à uia ſua mala &c. & habitabi- Cap.xxv.
tis in terra. Ca.xxxv.
Cum quæſieritis me in toto corde ueſtro, inueniar à uo Cap.xxix.
bis & reducam captiuos &c. Contemplare locos hoſce, nec dubitabo quin fateri cogaris, Deum Opt. Max. fructibus ſpiritus & uirtutum factis non ſolum impenſe delectari, uerumetiam ob hæc benefacere nobis, commorari nobiſcum, benedicere nobis, tueri nos, breuiter proſpicere & animo et corpori. Operibus bonis acceptæ quidem ferendæ ſunt tot commoditates, ſed miſericordiæ gratiæq; accepta ferre debemus opera bona, & illis actis dicere: Serui inutiles ſumus, Et cum Iobo: Si probus ſum, hoc ipſum ignorabit anima mea. Sicuti Matth.vi. Neſciat ſiniſtra &c. Non enim patitur deus gloriationem noſtram, quaſi ex nobis ipſis quicquam probe egerimus. Scriptum eſt in Deuterono. Ne dicas: fortitudo mea & robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt, Sed recorderis domini dei tui. Quia ipſe dat tibi Coah Laæſoth, id eſt, uirtutẽ ſiue uim ad faciendum. Græci ἰσχὺν. Rurſus Iudicum ſeptimo: Ne dicas: uiribus meis liberatus ſum etc. Nihil habemus, quod non è ſupernis acceperimus, non eſt igitur ut glorîemur, præterq̃ in deo, quod hũc hunc cognouerimus, qui eſt omnia in omnibus, benedictus in æuum. Amen. Pro eo q; obediſti pręcept. Ionadab &c. Cap.xxxv
propterea &c. uel in Rechabim iſtis apparet, q̃ incrediliter placeant deo bona opera, eiusq; ſint delitię, gaudium, & corona. Vtinam uero nos non ſolum laudaremus opera, uerumetiam faceremus.
Vides operibus placari deum. Id quod apertius ſupra Cap.xxxvi
cap.xxvi. Nunquid nõ timuerunt dñm & depcati ſunt, &c.

# EX EZECHIELE.

Cap. iij. NON erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit: uidelicet, ubi degenerauerit ad iuſtitias. Audis memoriã eſſe apud deum, operum piæ ſanctæq́ uitæ? Deſcribitur (mihi crede) non in fabuloſa diphthera, quicquid agimus ſiue bonum ſiue malum, Eccl'ſ xij. ij. Cor. v. Vnde iudex iuſtiſſime iudicabit & reddet ſuum cuiq́ autoramentũ, pro quo militauit, huic uitam, illi mortem, Roma. ij. & vi. Inſculpatur in animo tuo, narra familiæ tuæ, meditare domi foriſq́, tere in pinacio exaratum, pendeat ob oculos, incide columnis, depinge in parietibus. Quid obſecro? Verbum domini, Ioannis v. Prodibunt qui BONA FECERVNT, in reſurrectionem uitę, Qui uero MALA EGERVNT, in reſurrectionem condemnationis.

Cap. xiiij Si fuerint tres uiri in medio eius, Noë, Daniel et Iob, ipſi per iuſtitiã ſuam liberabunt animas ſuas, ait dominator dominus. Non proderunt tibi aliena opera ſeu merita, ſecundum Tua olim iudicabere. Qui probus fuit, is recipiet in eo loco, ubi futurus eſt æternus. Quàm dulce erit tum meminiſſe gemituum, laborum, afflictionum, cuiuſmodi hic pertulimus? Quàm grata erit recordatio benefactorũ? Quàm iucunda erit bene actæ uitæ conſcientia?

Cap. xviij. Qui fecit iudicium & iuſt. Qui ſuper montes non comedit, & oculos ſuos nõ leuauit ad idola domus Iſraël: Qui uxorem proximi ſui non uiolauit, & ad uxorem menſtruatam non acceſſit: Qui hominem non contriſtauit: Qui pignus debitori reddidit: Qui per uim nihil rapuit: Qui panẽ ſuum eſurienti dedit, & nudum operuit ueſtimento: Qui ad uſuram non dedit, & ſuperabundantiam non accepit: Qui ab iniquitate auertit manum ſuam: Qui iudicium uerum fecit inter uirum & uirum: Qui in præceptis meis ambulauit

& iudicia mea cuſtodiuit, ut faciat ueritatem: Hic iuſtus eſt: Vita uiuet, ait dominator dominus. Satis explicate atq; illuminate loquitur nobis amantiſſ. pater, ne quis ſermonis obſcuritatem cauſetur. Audimus definitionem iuſti hominis, ea rogo per uos Lutheriſtæ ἀκίνητος perſtet. Nouimus ueſtra, ut opus nō ſit, morbidum dogma inanibus uerborum ampullis protegere. Quærite peregrinos, quibus uerba detis. Aſinum ſuum auriculæ prælongæ apud Cumanos nos ſat prodiderunt. Iuſtitia bonis Chriſtianorum operibus adſcribitur, Sicuti contra iniuſtitia malis. Hoc oraculi conſtanter tenete, qui eccleſiaſtici eſtis, & æque ferte hęreticorum in rabiem actorum ludibria.

Ibidem: Vita uiuet. Idem cap. xxxiij. Strenue uerſant ſententiam prophetæ: Iuſtus ex fide ſua uiuet, quaſi hoc quiſq; inficietur. Scimus quomodo eo teſtimonio utatur Apoſtolus ad confutanda opera legis, quæ ſuo tempore in Chriſtianiſmum ingerebant Apellę fratres. Sed neq; propheta neque Apoſtolus ſenſit, opera credentium bona ideo nihil ualere coram deo, quod iuſtus ex fide ſua uiueret, Imò idem dei ſpiritus in Ezechiele dicit eundem iuſtum ex operibus ſuis uiuere. Nam ſi ille iuſtus eſt, qui enumerata opera peregit, & iuſtus ille uiuet, conſentaneum eſt, quod ex operibus uiuet, quæ peregit, non ex fide tantum. Quod ſi ſibi ius ſumunt uiuendi uerbum in Ezechie. de temporali ſolum uita interpretari, licebit mihi eodem iure idem uerbum in Habakuk de temporali ſolum uita interpretari. Tam enim mihi nihil obſtat, quam illis, & eadē mihi autoritas quæ illis (tametſi nihil ſum) & eadem mihi θαυματουργία quæ illis. Audaciæ & inſolentiæ palmam concedo.

Audiunt uerba tua & non faciunt ea. Referta eſt ſcriptura ſimilibus dictis, quibus uellicantur auditores uerbi ob neglecta facta. Nec tamen emolleſcūt Lutheriſtæ, ut ad-

g ij duc-

duci queant,non dico ad operum peractionem, ſed ad operum duntaxat curam & amorem. Nam ut contra ea in templis detonant,ita cõtra ea palàm uiuunt,ne ſcilicet euacuẽtur dogma. Orthodoxi norunt: Beati qui audiunt uerbum dei, & cuſtodiunt illud. Eò deferant quicquid in ſe eſt ſtudij,uigiliæ,laboris.

## EX DANIELE.

Cap.iiij. PEccata tua in eleemoſyna redime, & iniquitates tuas in miſericordia pauperum, Ecce erit longanimis delictis tuis. Hæc eſt certa ſolidaq́ eius loci interp̃tatio, ad hebraicã ſimul & græcam ueritatẽ,ne diffidas lector, Niſi quod græci eleemoſynis & miſericordijs habent,& forſitan pro ecce, cuiuſmodi ſecutus eſt latinus. Verum hic locus καρκίνωμα illud eſt Lutheriſtarum, quod fruſtra toties braſſica non bene trita medicati ſunt. Hunc locum mirum dictu, q̃ ſudarunt,ut uel ſecus transferant,uel ſecus enarrent, quàm ueritas habet. Sed laus Chriſto,nihil egerunt,q̃ quod perfidiam ſuam nobis prodiderunt, effeceruntq́,ne illis poſthac tam facile credamus, & ſi animas ſuas millies nobis pignorent. Eleemoſynæ uox mire offendit aures animoſq́ iſtorum hominum,quare eam ubi poſſunt, amoliuntur à textu, ubi nõ poſſunt, ſcholijs uelant. Nam ſex iſtæ ſyllabæ proſternunt gygantes iſtos ergomachos. At Orthodoxi ſcimus quinq́ linguarum conſenſu Zidkah hoc loco eleemoſynam eſſe, quantumlibet alibi iuſtitiam ſignificet,tametſi alibi quoque eleemoſynam reddant LXX. ut Pſalm.xxiij. Præterea cogunt circumſtantiæ,ut aliter non poſſit uerti, Nam mox tautologice repetitur, Et in miſericordia pauperum. Quo apparet,hoc ſolum prophetam ſibi uoluiſſe. Poſtremo nõ eſt adeo inſolens,eleemoſynis peccata expiari,quum idem Prouerb. xvi.

uerb.xvi.quoq; legeris, & ſemel atq; iterum in Tobia. Date eleemoſynam, inquit dñs, & omnia erunt uobis munda, & Matth.vi. dicitur reddendam eleemoſynæ mercedem. Item Prouerb.xv. Eleemoſynis & fidelitatibus (nam græci plurali utuntur) repurgãtur peccata. Dices, hoc deſyderatur in Hebræo. Reſpondeo: At in græco eſt, quod non omnino friuolum, Imò quo olim Eccleſia catholica uel ſolo uſa eſt, & è quo Apoſtoli teſtimonia ubique ad uerbum citarunt. Quod ſi non ſatisfacit, age, cap.xvi. habes eadem penè uerba in utraq; lingua, ut uelis, nolis, uincat ueritas. Sed iuſtitiæ uocem maluerunt inſertam, quæ uidelicet ſecundum dogmation, fides duntaxat eſt, ut cõſiſtat quod ipſi docuerũt, Nam ſi ab hoc reſilirent, inconſtantiæ crimen incurrerent. Cæterum ijdem ne uideantur eleemoſynam prorſus tollere, utq; ſe oculatos præ depontanis ueteribus oſtentent, interpretantur, Heſed, eleemoſynam in Pſalmo cxvij. Inſuper faciunt ex eleemoſyna quoduis beneficium, in quoſuis collatum &c. omnia ut lubet, poſteaquam labia eorum ab ipſis ſunt. Sed donemus, ut commodum ſuo ipſi reti irretiantur. Si Heſed eleemoſyna eſt (quod tamen nõ niſi ἔλεος uocant & LXX. & Euangeliſtæ) & Heſed apud Solomonẽ peccata expiat, Igitur eleemoſyna peccata expiat. Atq; ita uetus tranſlatio Danielis ab ipſis impugnatoribus propugnatur. Ad hæc toties cõmendabitur eleemoſyna, q̃ties Heſed reperit̃ (reperitur aũt frequentiſſime) & fiet ut unus locus Danielis, domi labefactatus, foris ad infinitum confirmetur. Hanc Scyllam non uiderant oculati iſti Argi. Eſt qui exponat eleemoſynam mutationem cordis &c. Vnde hoc mi uir? Sed ignoſcendum eſt miſerandis gloſſematarijs, quorum aliqui pudore magis q̃ malitia, temere recepta dogmatia tuentur. Metuunt, ne ſi quid tribuatur bonis operibus fidelium, iniuria fiat gratiæ, quaſi ulli obſcurum ſit, Bona opera ſine præ-

cedente & conſequente gratia, manca atq; inualida eſſe, aut quaſi leuiſſ. delictum quouis modo remitti poſſit ſine effuſo ſanguine immaculatiſſ. agni Ieſu Chriſti, in cuius gloriam omnes omnium operum actiones redundant. Ad ultimum quid uocat S. Matthęus Eleemoſynam in Hebraico Euangelio? Num Heſed? Minime, ſed Zidkah, ſicut hoc loco Daniel. Ita enim habet textus: Reu Schelo Thithenu Zidkadechem liphne Anaſchim, hoc eſt, uidete, ne detis eleemoſynam ueſtram coram hominibus, cap. vi. Quos hic fumos nobis uenditabitis Euangeliomachi? Si Danieli cedere non uultis, cedite Matthæo. Cętera quę hic dicenda, in aliud tempus differemus.

Cap. vi. Deus miſit angelum ſuum, & cōcluſit os leo. &c̄. Quia coram eo inuenta iuſtitia in me &c. LXX. εὐθύτης id eſt, rectitudo. Lutheriſta nunc medius teneris, nec poteris elabi, quaquauerſum circūſpicias. Opera piorum coram deo ceu authore & remuneratore inueniuntur, non ſolum ſuaſore. Ob opera bene fit pijs, & ſentiunt illorum fructum, tam in æterno quàm externo homine.

Cap. ix. Qui ſeruas pactum & miſericordiam diligentibus te & cuſtod. man. tua. Hoc ſupra in Moſe & Eſra. Certi ſunt de dei miſericordia iuſti homines, qui in bonorum operum ſtudio excellere perpulchrum putant. Deuter. xxiij. Seruis ſuis miſerebitur.

Cap. x. Panem delicatum non edit propheta, carnes & uinum non intrant in os eius, unguento non unguitur, quæ Adæ afflictio coram domino comparuit, & uerba precantis eo tempore exaudita ſunt. Vnde nobis hypocrita, ſpecioſus pelle decora Daniel? Vnde nobis delectus ciborum? Olet Tatiani & Manichæi pedorem iſta ſuperſtitio. Cibus nos non commendat deo, nec curat malua lupinoue ueſcar, an ceruina & turdo. Quid obeſt animæ, Balſamo perungi, aut

balnei

balnei uti delicijs,aut etiam quæ ſub alis fiũt?Quid detrahit fidei meæ ueſtis,ſchema mũdi præ ſe ferens?Quid tędij medica alea? Quid orcheſinus, quid cythara & muſicum melos,quid roſaceæ corollæ? Laudo, abi, uirum te Euangelicum iudico, Macte iſto animo perge ſeruire deo tuo: Iouiniani et Ariſtippi inſtitutũ ſectare. Omitte Timotheos,Hydropotas,Anthonios,Hieronymos,Zenones in ſua macerata uita.Euangelium (tuum) nihil exigit à te præter iuſtitiam ſpiritus,quæ eſt abſcondita in corde, hoc eſt,ut ſis,qualis es,Euangelicus ſcilicet.

¶ Vita æterna non ſolum promittitur doctoribus iuſtitię, uerum etiam quod ſint in ea ueluti ſtellæ perpetuæ futuri. Docere autem,bonum opus eſt.Sed doctores dẽt operam, ut hic quoq; ſtellas imitentur,fulgendo in pietate & honeſtate,quemadmodum fulſit Adamantius ille Origenes de quo fertur elogium:Hic eſt qui quale uerbum habet, talem habet uitam. Vulgare eſt illud Auguſtini: Bene docere & male uiuere,eſt ſeipſum condemnare.In lib.Iud.v.dicuntur omnes amatores dei,ne dum doctores, ſicut exoriens ſol rutilaturi. Cap.xij.

# EX IOELE.

Conuertimini ad me in toto corde ueſtro,in ieiunio,fletu & planctu,et ſcindite corda ueſtra.Egrediatur ſponſus de cubili ſuo &c. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat deus &c.Semper placuerunt deo pœnitẽtium atq; dolentium opera exteriora, adeo ut ſæpe facilem & placabilem ſe talibus exhibuerit, atq; commerito flagello manum continuerit.Exemplis abundant ſcripturæ. Temperantia coniugum ob religioſa opera deo ualde probatur,id quod ex i.Corinthi.vij.liquet,præter exempla Exod.xix, i.Reg.xxi.Tob.vi. Cap.ij.

Certum

Certum eſt diſplicere deo, quicquid carni noſtræ placeat, et illi eſſe iniucundum, quicquid ea expetat. Diuorum exempla inflammare nos ad pietatis exercitia debent, ut eorum fidei & uitæ ueſtigia inſequentes, eò ueniamus, quò ipſi nos præceſſerunt. Dux erit ſpiritus & lex lux, ut & uelimus & poſſimus, in gloriam patris noſtri, cui uolupe eſt in bona opera proſpicere.

Ibidem: Quicunq; inuocauerit nomen domini, ſaluus erit. Nemo inuocat aut orat, niſi qui credit Rom. decimo. Nec minus tamen clamori, hoc eſt operi credentis ſalus attribuitur. Porro ſalus hic alia niſi æterna eſſe non poteſt. Saluus erit, id eſt, eripietur è faucibus diaboli, & collocabitur intra eccleſiæ mœnia, unde poſt aſſumetur in æternam patriam, Si fidei baptiſmoq; uita eius reſponderit.

# EX AMOS.

Cap. v. QVærite bonum & non malum, ut uiuatis, Et erit ita dominus deus Zebaoth uobiſcũ, Sicut dixiſtis. Locus hic perbelle quadrat ad aſſertionem doctrinæ eccleſiaſticæ, & tota huius uirtus in uocula, ut, conſiſtit, hebraice Lemaan, quod planè ætiologicum eſt, & gignit eum ſenſum: Propterea quærite bonum & non malum, ut uiuatis: Sin minus, non uiuetis. Vitam uero interpretor, de qua dicitur Ioan. v. Qui bona fecerũt, prodibunt in reſurrectionem uitæ. Huc ſpectat illud Dauidis: Quærite bonum & uiuet anima ueſtra. Quin ad eam boni exquiſitionem, alio quoque promiſſo nos extimulat, quum ait: Et erit ita dominus &c. Non caret emphaſi additum, Ita, Hebraice Chen, quod ſoli LXX. non neglexerunt. Sic enim ſentit: Grandia iactatis, me circum uos eſſe, uos iuuare, uobis fauere, bene uelle, ſed fallimini. Vbi uero bene operati fueritis, tunc ita ero circum uos, ita

uos, ita iuuabo uos, ita fauebo uobis, quemadmodum iactatis.

# EX ABDIA.

PRopter interfectionem & iniquitatē &c. peribis in æternum. Quoties in ſacris literis dicuntur mortales, præſertim Iudæorum populi propter peccata puniri, toties ſentiendum eſt, eoſdem omnia proſpera adepturos fuiſſe, ſi ſecundum deum & recte uixiſſent. Nam ſicuti peccata in cauſa ſunt, cur plectaris, ita bona opera efficiunt, ut bene tecum agatur. Et quemadmodum ob peccata iraſcitur dominus, ita ob bona opera placatus quieſcit. Reuolue Biblia, enota hiſtorias iræ diuinæ teſtes, numera dicta iræ, & quicquid ibi eius inſtituti occurrerit, id ipſum κατ᾽ ἐναντίωσιν pro aſtruenda ſententia faciet, quam nunc defendēdam ſuſcepi. Qui mala opera punit, idem bona remunerat: Qui uitia flagellat, idem uirtutes coronat. Indicat furor eius maximus, et animaduerſio crudeliſſima in improbos, quàm immenſa atq; eximia bonitas ſit & ſaluatio opulentiſſima certiſſimaq;, Si uitę ſanctimonia integri fuerimus.

# EX IONA.

VIdit deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de uia ſua mala & miſertus eſt eis. Sunt duo operum Chriſtianorum genera, Eccleſiaſtica & Ethica.

Eccleſiaſtica ſentio, quæ in publico cœtu peraguntur, Nempe: Curare ut proles per Baptiſmum Eccleſiæ Chriſtianæ dedicetur.

Baptizata rite confirmetur, nimirum adultior.

Confirmata Orthodoxa Catecheſi inſtruatur.

Inſtructa, bonorum morum iuxta & literarum ſtudio formetur.

Et uel miniſterio Eccleſię uel Ciuitatis agricq; opificio in timore & tremore contradatur.

Aſſiduum intereſſe ſacris.

Memoriā paſſionis Chriſti grato animo recolere.

Audire conciones.

Auditas domi ruminare.

Precari.

Ieiunare.

Pſallere.

Legere.

Stipem largiri.

Confiteri.

Feriari, tametſi hoc leuius eſt.

ETHICA uero appello:

Pœnitentiam agere.

Conteri dolereque uehementiſſime & corpus affligere propter commiſſa.

Vitam ad regulam Chriſti inſtituere.

Deo conſtanter fidere in omni uita.

Deum amare, metuere, colere, in animo habere.

Verbum eius in rebus gerundis conſulere.

Deum inuocare.

Intercedere pro uiuis & mortuis.

Vigilare ad nocturnas preces.

Meditari cœleſtia.

Eſſe ἀτιμάγγελον aſſenſu ſociæ.

Mortificare carnem atque ſub iugum mittere.

Vitia odiſſe & fugere.

Mundum contēnere cum deſyderijs eius.

Lugere.

Zelare.

Pati.

Opes atq; gloriam uilidu cere.

Proximum amare, honorare, docere, corripere.

Pauperem alere.

Aegrotum uiſitare, conſolari.

Breuiter, facere opera decalogi, & parænefes Apoſtolorum.

Cum Ethicis copulo opera OECONOMICA, Nēpe:

Piè benecq; pręeſſe domui. Recte inſtituere liberos.

Iuſte

Iuſte tractare ſeruos ac ſeruas, item mercenarios.

Peregrinos ſub tectum accipere.

Victum labore quærere.

Incommoda uitæ ferre.

Et ſi qua alia huius claſſis ſunt.

Adnumero & POLITICA opera, Cuius generis ſunt:

Parere magiſtratibus.

Pendere tributum.

Citra murmur ferre expilationes.

Fidem ſeruare.

Pacto ſtare.

Fidum in opificio eſſe.

Integrum eſſe in contractibus.

Aequum erga uiciniam eſſe.

Creditori ſatisfacere.

Prouehere concordiam, etc.

Iam ſunt, qui in Eccleſiaſticis perficiēdis ſedulam nauant operam, in Ethicis negligentiſſimi. Plures ſunt qui leuiora, quàm qui grauiora legis exequantur, ſed ſciant illi, ſeſe deſipere, & à iuſtitia abeſſe. Legis Niniuitas ad Ionæ exhortationem non ſolum credidiſſe, nòn ſolum indutos ſaccis, non ſolum ieiunaſſe, non ſolum oraſſe, uerumetiam conuerſos fuiſſe à uia ſua malà, Quod poſterius magis aſpexit dominus q̄ prius, Nam ita habet textus: Et uidit deus opera eorum. Quænam? Quòd conuerſi eſſent à uia ſua mala, propterea miſertus eſt, iuxta Hiere. xviij. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo &c. Commēdatio bonorum operum apud S. Clementem inſignis eſt. Nimirum hæc: Qui regeneratus fuerit per aquam, bonis operibus adimpletis, hęres efficitur eius, à quo in incorruptione regeneratus eſt. Lib. vi. Mox ibidem: Quum autem regeneratus fueris per aquam, ex bonis operibus oſtende in te ſimilitudinem eius, qui te genuit patris. Agnouiſti enim deum, honora patrem, Honor autem eius eſt, ut ita uiuas, ſicut ipſe uult &c. Idem Clemens in epiſto. Quo poſſit, ait, fide integra, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, et ad perpetuę uitę p̄mia peruenire. Id genus loca ſunt apud ſcriptores eccleſię nr̄ę innumerabilia.

# EX MICHEA.

Cap. ij. NOnne uerba mea benefaciunt cum eo, qui rectus ambulat? Q. d. In uerbum meum reijcere culpam calamitatis ueſtræ minime poteritis, ſed peccata ueſtra in cauſſa ſunt, quo minus res ex uoluntate ſuccedant, quemadmodum Hiere. v. Peccata noſtra prohibuerunt bonum à nobis &c. & Eſa. lix. Peccata ueſtra abſconderunt faciem domini à uobis. Recte conuerſemini & ſentietis me fore ſecundum promiſſiones meas optimum atque benigniſſimum. Scilicet, ego uobis parcam, quum ipſi nemini parcatis? Quare id ero uobis, quod uos alijs eſtis, Nempe tyrannus & harpyia? Audiant hoc magnates, qui quum ſint meri Phalarides in ſubditos, tamen ſibi ingentia promittunt de fauore Chriſti & æterna ſalute. Scriptum eſt: Sicut feciſti, fiet tibi. Remetiar tibi Phalariſmum in ſinu tuo, nec liberabit te auri coraſi maſſa.

Capi. vi. Annunciatum eſt tibi homo quid bonum ſit, & quid dominus requirat à te, Nempe facere iudicium, diligere miſericordiam, et ſolicitum (ſiue humilem) ambulare cum deo tuo. Hic ternarius aſteriſco inſigniẽdus eſt. Habes in eo epitomen uitæ Chriſtianæ. Fidei non fit mentio, eò quod ijs loquitur, qui iam credidimus, unde ſupereſt, ut fidei charitatem ceu pediſſequam, imò lateranam adiungamus, Quam ſentit, diligere, inquiens, miſericordiam, id eſt, è dilectione non ficta, & libenter hilariterue benefacere fratri. Facere iudicium, pertinet ad omnes uitæ functiones, & poſtulat ut domi foriſque cuncta quàm iuſtiſſime atque incorruptiſſime agamus. Vltimum, uidelicet, humilem ambulare cum deo, reſpicit ad religioſa opera, ut quæ rectius humili edomitoque corde, & ſeruata pia quadam uerecundia peregerimus. Nam tale quippiam uult Hebræis zena, quod LXX. hoc loco ἑτοιμον, id

eſt, prom

eſt, promptum transferũt. In Solomone reddunt humilem, tam LXX. q̃ Hieronymus. Ibidem. Salus erit timentibus nomen tuum. Timor dei collectim ſecum trahit, quicquid ad æternam ſalutem credentibus opus fuerit. Sine timore, inquit Syrach, nemo poterit iuſtificari. Idem: Timor domini ſuper omnia.

## EX ZOPHONIA.

QVærite iuſtitiam, Quærite manſuetudinem, ut abſcondamini in die iræ domini. Audis cauſſalem, ut, ulai, quod Græci ὅπως. Amabilis uirtus ubiq; præmijs prouocatur. Proh, deus bone, quanta erit exultatio iuſtorum ac manſuetorum, quando tuti à gehenna, paradiſum ſibi patére uidebunt, quando audient illud deſyderatiſſ. δεῦτε, quando eminus cernent fruſtra eiulantes ſtare fatuos, cum ſuis olei uacuis lampadibus. Cap. ij.

## EX ZACHARIA.

COnuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, ait dominus exercituum. Sat dictum de conuerſione, ſi ſat audiremus, crederemus, faceremus Chriſtiani. Cap. i.

Hæc ſunt uerba, quæ facietis. Loquimini ueritatem, & reliq. id eſt: Hæc uoluntas dei eſt, hæc ſalus ueſtra, ſi uos in omni conuerſatione irreprehenſos cuſtodiatis, ſiue, ut Apoſtoli uerba accenſeam, ſi quæcunq; uera, quæcunq; honeſta, quæcunq; iuſta, quæcunque pura, quæcunq; προσφιλῆ, quæcunq; boni nominis, Si qua uirtus, ſi qua laus, cogitetis ac faciatis, & erit deus pacis uobiſcum. Cap. iij.

## EX MALACHIA.

Cap.iiij. ORietur uobis timentibus nomen meum ſol iuſtitiæ & ſanitatis in alis eius. Timori dei ſanitas promittit̃ ubiq; in Moſe, & Prouer.iij.& iiij. Chriſtus illuminator omnium qui ueniunt in hunc mundum, & promiſſus timentibus nomen dei, & re ipſa exhibitus eſt, & cũ eo ſanitas ſalusq; corporis & animæ. Huic ergo Chriſto deo ſimul & homini, domino regi & ſeruatori noſtro unico, in huius uitæ paleſtra militemus, ipſomet pędotriba atq; uexillifero, huic nos totos impendamus, nec ſit, quod remoretur aut delaſſet accinctos. Athleta Polydamas in olympia ob robur, ut eſt apud Baſilium Magn. coronatus eſt, & item Milo Crotoniata. Et illis Brabion erat oleaſtri aut apij Corolla. At nobis propoſita ſunt immortalitatis p̃mia, Si uicerimus. Quid igit̃? dormitabimus? ſine cura uiuemus? Imitabimur Sardanapalum aut Margitam Homericum? Ob breuem uoluptatulam ſpes magnas amittemus? Quin meminerimus ſcriptum eſſe, Neminem coronari, niſi qui legitime certet et uincat, atq; talem non læſum iri à morte ſecunda.

FINIS.

GEORGII VVERTHINENSIS

Lectori Octoſtichon.

Ingenuos adeas agros rogo Candide lector
In quis fragrantes proueniunt uiolæ.
Vuicelius calamo colit & ſimul indicat illos,
Enitens domino ferre talenta ſuo.
Has uiolas tumidi nunquam uis decutit Auſtri:
Non ſinit has unquam multa perire dies.
Quin eæ perdulces commiſcent ſemper odores:
Qui ſurſum rapiunt credula corda, uale.

Comprehen-

# COMPREHENSIO LOCORVM PRO BONIS operibus, Ex nouo Teſt.

## EX MATTHAEO.

EVANGELIVM NVNCIAT gratiam dei, quæ in filio dilectionis ſuæ, omĩ creaturę apparuit. Pulchre, ut omĩa, Ioan. Chryſoſtomus, Merito, inquit, uocatur Euangelium, quia hic cernere eſt, Deum conuerſari in terris, angelorũ cum hominibus iungi choros, Deum hominibus reconciliatum, diabolum confuſum, mortem peremptam, paradiſum apertum, maledictionem remotam, peccatum de medio ſublatum, profligatum errorem, ueritatem reuerſam &c. Cæterum Pœnitentia præcedit Euangelium, Marc. i. Pœnitemini & credite Euangelio. Lu. xxiiij. Vt prædicetur ſub no. eius pœniten. & remiſſ. peccatorum. Pœnitentia item ſequitur Euangelium. Nam per euangelicæ gratiæ fidem à peccatis ſaluati, per baptiſmum & ſpiritum regenerati, Chriſto inſerti, Eccleſiæ iuncti audimus: Vide ne amplius pecces. Rurſum: Hæc ſcribo uobis filioli, Ne peccetis. Iam infirmitate relabentibus patet pœnitentiæ τὸ ἄσυλον, ne quis de miſericordia dei in Chriſto deſperet. Quin diſcimus à Dauide, ſperare in miſericordia, nõ peccare in miſericordiã. Proinde Euangelio credentes, ſub gratia, domeſtici dei, amici Chriſti ſolicite interrogamus: Domine quid me uis facere? Redditur oraculum: Si uis ad uitam ingredi, ſerua pręcepta. Potes enim iſthuc nunc, talis uidelicet, Nam ego operor &

ror & uelle & perficere, Tu operationi meæ tuas adde manus. Verum indicabo tibi ſaluato, quoties teſtatum uolui, pietatem atq; honeſtatem mihi placere, nunc etiam, quum te liberum feci, quum te ſaluaui gratis. Credidiſti in Euangelio, reliquum eſt ut digne Euangelio uiuas, ſi ſaluatus gratificari uoles.

Cap. i. IOSEPH QVONIAM IVSTVS ERAT, noluit. &c. Non obſcure uides, quid hoc loco ſit iuſtum eſſe. Ad eundem modum legis Marc. vi. Ioannem iuſtũ ac ſanctum. Et Luc. ij. Simonem. Item Lu. xxiij. Ioſeph decurionem. Apoſtolus uult eligi iuſtum presbyterum &c.

Cap. ij. Magi accedunt ut adorent & offerant, non domi deſidentes credunt tantum. Operibus fatentur quod credunt, non ore tantum, & operibus egregijs, quorum etiam gratia periclitantur. Expetit eos ut cribret Satan operum auerſor, ſed ſeruantur. Mittitur angelus qui operarijs de ſalute proſpiciat. Munerum Tropologia: Aurum eſt dilectio, Thus oratio, Myrrha carnis mortificatio. Hæc nos oportet deo in altiſſ. donare.

Cap. iij. Vita Baptiſtę predicanda eſt ad pudorem delicatorum epiſcoporum & noſtrorum concionatorum, qui ipſi quoque malunt Mileſij q̃ Cilicij eſſe. Eadem predicanda eſt ad commendationem abſtinentiæ & ieiunij. Vita hæc carni inimica, Chriſto accepta eſt. Virtutum & operum Baptiſtæ laus eſt in Euangelio. Doctrina uiri uitæ ſanctimonia roborata atq; ornata deſyderatum nobis Agnum monſtrat. Docet non ore ſolum, ſed cultu quoq; & uictu & habitaculo uerus philoſophus, uerus heremita.

In eodem: Omnis arbor, quę nõ facit bonum fructum, exciditur et in ignem mittitur. Minæ dei in ſua præambulone. Ma-

ne.Mala opera etiam credentiū commerentur ignem,quem effugiunt benefacta,ſiue, ut ille uocat,fructus pœnitētia digni.Diuus Hilarius pœnitentiam hoc loco ſic definit,Nempe quod ſit reditus ab errore, & recurſus à crimine, & poſt uitia deſinendi profeſſio.

Sic decet,ut omnem compleamus iuſtitiam. Certe opere complent iuſtitiam duo illi, & omnem.

Cap. iiij

Ieiunans Ieſus ter uincit Satanam. Victor circumit predicans Euangelium regni, & curans omnem morbum in populo.Addamus nos quoq; operibus Eccleſiaſticis charitatis officia,ut ſimus integri.

Cap. v.

Beati pauperes ſpiritu,quoniam illorum eſt regnum cęlorum.Octies beati pronunciantur, qui è fidelibus Chriſtiane uiuere, & Chriſtiani opere & paſſione magis q̃ uerbo eſſe ſatagunt.Suſpitionem temporalis beatitudinis præcludit expreſſum autoramentum regni cœleſtis. Et ne hic Eccleſiam interpreteris Regnum, expreſſius habes: Quoniam merces ueſtra multa eſt in cœlis. Ibi enim in exultatione metent uitam ęternam,qui hic in lachrymis bona opera per patientiam ſeminant.

Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant ueſtra bona opera & glorificent patrem ueſtrum qui eſt in cœlis. Nihil potuit rotundius dici.Chriſtiani luminaria ſtellæq; in mundi tenebris ſunt,ut is fulgore noſtro illuſtret̃ ad cognitionē filij dei. Teneamus igitur lucernas in manibus noſtris ardentes in ſanctis conuerſationibus ac pietatibus expectantes & accelerantes aduentum diei Dei, quemadmodum S. Petrus docet. Milites Chriſti lampadibus pugnant & uincunt,Iud.vij.Obſerua gloriam deberi non operantibus,ſed patri cœleſti.Nam is glorificatur,Si nos in Chriſto feramus fructum operum Ioan.xv. Ne mentiamur, quoties pſallimus: Non nobis domine nō nobis ſed no.tuo da gloriam.

Quiſquis fecerit & docuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Præponitur faciendi uerbum, ne neſcias maius eſſe, & Chriſto gratius, facere, q̃ docere. Sic Actu.i. præponitur. Vtinam ſint prudentiores, qui uitam doctrinæ poſthabent, & id operum odio. Electi milites Iud.vij. manu & lingua lambunt, id eſt, opere & uerbo negocium ſalutis agunt. Tale Origenes.

Niſi abundarit iuſtitia ueſtra, plus q̃ ſcribarum & phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Audimus occludi fores iniuſtitiæ, Iuſtitiæ uero factorum recludi. Phariſaica iuſtitia in externa modo ſpecie cõſiſtit, ut fallat uitium ſpecie uirtutis: At Chriſtiana iuſtitia interioris ſimul & exterioris hominis eſt, & hoc abundantior, quo ſyncerior. Eam iuſtitiam perfectionẽ uocat dominus, Eritis perfecti ſic. pater &c̃. Eam iuſtitiam iubet cum primis quæritari.

Quiſquis iraſcitur fratri ſuo, quiſquis Raca & fatue dixerit, is, ut audis, incurrit pœnam, & hanc grauiſſ. Quare ergo liberant nos gehennæ metu, ſi fidem tantum habeamus, affirmantes nullum eſſe tam enorme peccatum, quod fidelem damnare ualeat?

Orate pro ijs, qui lædunt & inſectantur uos, ut ſitis filij patris ur̃i. Hic urgẽda cauſalis Vt. Admonui hoc ipſum in ueteri Teſt. Euangeliſtæ nouitij ſoli fidei adſcribunt, ut ſis filius dei, fręti Ioannis initio. Locum nouimus, hunc nõ prætærimus quo credentis orationi adeptio tribuitur.

Si dilexeritis eos qui uos diligunt, quod præmium habetis? Præmij commemoratio Schiſma torquet, Eccleſiam oblectat, quę benefaciens inimicis ſuis, beata ſpe præmij ęterni lenitur.

Cap.vi. Eleemoſynam præſtans ut ſpectetur, præmio carebit. Inductio: Eleemoſynam præſtans non ut ſpectetur, præmium habebit. Pater qui uidet in occulto, ipſe reddet in propatulo.

tulo. Artis eſt, bonum opus bene præſtare. Synceritas ac rectitudo operantis potiſſimum meretur præmium, quod tribus operibus uidelicet, Eleemoſynæ, Precationis & Ieiunij in propatulo reddendum ter promittitur. Quòd ſi uos non remiſeritis hominibus delicta ſua, nec pater remittet delicta ueſtra. Remiſſio peccatorum non in ſola fide, ſed in opere etiam fraternæ ignoſcentiæ ſita eſt. Repetitur Matthę. xviij. ne nouæ doctrinæ uento moueamur.

Recondite uobis theſauros in cœlo. Opera miſericordiæ à ſyncere Chriſtiano bene collocantur. Non amiſſa eſt pecunia in pauperes diſperſa, ſed in cœlum præmiſſa, ubi eam nec ignis nec poterit ferrum nec edax abolere uetuſtas.

Nolite condemnare, ne condemnemini. Cauſalem Ne, quam Euangeliſta indubitatius ἵνα μὴ, exprimit, tene mordicus. Pœna peccatum comitatur, ſiue credas, ſiue fidas. Cap. vij.

Petite & dabitur uobis. Petendi, quærendi, pulſandi facto, dona eximia promittuntur. Verba dilucida ſunt: dabit bona pater, ſi poſtuletis ab ipſo. Opus petitionis hic cũ primis commendatur.

Omnia quæcunq; uultis ut uobis fac. &c. Audis legem & prophetas ſub opera concludi à domino & legis & prophetarum. Sic quoq; Matth. xxij. Dure accipitis Euangelici, Prophetas ad operum ſcopum à domino inclinari, Sed propter a nos ueſtri odio mellitiſſimas in his de ſeruatore Ieſu promiſſiones & uaticinia non negligimus.

A fructibus ipſorum cognoſcetis eos. Plurima tum utilitas tum neceſſitas operum. Arguunt hæc, qui ueri, qui falſi Chriſtiani ſint. Linguæ, cultui, frõti nulla fides. Non quiſquis dicit mihi domine domine, introibit in regnum cœlorum: ſed qui fecerit uoluntatem patris mei, qui eſt in cœlis. Secta conturbatrix Apoſtolicæ doctrinæ, ne uideatur eſſe quod eſt, aſtute obducit locos de facienda uoluntate dei,

i ij uno

uno loco apud Ioan.ca.vi. Hæc eſt uoluntas patris mei qui me miſit,ut omnis qui cre.&c̄.Quo loco cæteros uiolenter reprimit.Mauult enim ſcripturæ maieſtatem,q̄ ſuum uel dogma uel exiſtimationem lædere.Equidem uoluntas dei eſt, ut Chriſtū credas,ſed ſi hic ceſſator fueris, nil profuerit credidiſſe.Nā cuius uoluntas eſt ut credas, illius uolūtas quoq; eſt,ut agas.Locus Ioānis ſuæ cuiuſdā claſſis eſt. Cæteri Euangeliſtę apertiſſime ad facta ſpectant,q̄ties ſcribunt de facienda uoluntate dn̄i,& hic & cap.xij.Luc.xij.imò Ioannis etiā ix.Rom.ij.xij.Ephe.v.i.Theſſ.v.Heb.x.xiij.Credebant quib.ſcribebāt,& tn̄ deſyderāt in eis, ut faciant uolun.dei.

Diſcedite à me qui operamini iniquitatem. A Chriſto repulſam fert inobedientia, & bonorum operum contemptus.Non proderit in illo die:Fui euāgeliſta, fui epiſcopus, predicaui euangelium,expoſui prophetas, uiſitaui meos hircos,ſcripſi in papiſtas,expuli homines Entheos,Schvvermeros uocant.Illud demum proderit: Viam mandatorum tuorum cucurri ſeruus inutilis.

Omnis qui audit ex me ſermones meos,et facit eos &c̄. Ah Lutherani deſiſtite tandem eſſe ſuperbi mente cordis ueſtri, & captiuate intellectum ueſtrum in obedientiam inuictæ ueritatis.Fruſtra reluctamini Chriſto,de quo præ cæteris gloriamini.Ille ruiturum in exitium dicit,qui quæ audierit non faciat. Vos contra ei ſalutem promittitis, qui audit tantum. Agnoſcitis prologum ueſtra in ſchola deturpatæ Apocalypſeos. Domus operarij fundata ſuper petram, ab hymbre minarum,à flumine pœnarum, à uento mortis ſecundæ tuta eſt. Veſtra uero domus, auditores tantum & uerbi ueſtri magis q̄ dei,relinquetur uobis deſerta,& in nouiſſ.deijcietur magna ruina,maximo fragore.Super arenam enim futilium(uera dico)concionum ædificata fuit.

Cap.x. Omnis qui confitetur me coram hominibus, cōfitebor

& ego

& ego eum coram patre meo. Opus confeſſionis Chriſtianæ fidei meretur confitentis notitiam apud patrem: Contrà Negatio ignorantiam. Eodem loco uaria ſunt. Amor parentum & liberorum ultra amorem Ieſu, uitata crux, deſyderium uitæ huius, faciunt te Chriſto indignum: ne putes rem omnem in ſola credulitate & incredulitate ſitam eſſe.

Quicunq; ad bibendum dederit uni ex puſillis his poculum aquæ frigidæ, tantum nomine diſcipuli, amen dico uobis, non perditurus eſt mercedem ſuam. Et exigua charitatis opera, qui ſunt fructus ſpiritus ſancti, mercede ſua non fraudabuntur. Exhortatio eſt ad hoſpitij opus, Si hoc præſtare facultas non ſit, ſaltem pota uiatores Chriſti, ſiue q̃ſcunq; ſitientes. Iurat dominus, non modo promittit præmium officioſi operis.

Facta Chriſti à Ioanne capto audita, et à diſcipulis huius uiſa, perſuadent illis Ieſum eſſe Chriſtum, id quod uerba nulla potuerunt. Cedit & hoc in commendationem bonorum operum. Fit quoq; concio de factis Ioannis. Vita ſanctiſſ. uiri digna fuit, quæ ore dominico predicaretur. Cap. xi.

Dico uobis, q̄ de omni uerbo ocioſo, q̃d locuti fuerint homines, reddituri ſint rationẽ in die iudicij. Cap. xij. Ocioſum uerbum eſt, autore Gregorio, ut hoc obiter intexam, quod aut iuſtæ neceſſitatis ratione, aut piæ utilitatis intentione caret. Nunc mihi diſpice nouæ eccleſiæ mores. Habent ſibi perſuaſum ſtolida bruta, credentes à iudicio extremo immunes fore. Nam fidem ſufficere tam hic q̃ illic. Vnde fit, ut neque mala patrantes, neq; ocioſa garrientes, & inutilia ſcribentes deum timeant.

Ex dictis tuis iuſtificaberis &c̃. Id eſt, non ex fide tantũ, & factis, uerumetiam ex dictis tuis iuſtus olim iudicabere. Quare niſi condemnari uis, pone cuſtodiam ori tuo, linguam ualla dentibus, & memineris quid, de quo, ad quem

 loquaris.

loquaris. Nam agetur & de uerbis iudicium, non de factis ſo lum. Porro & hinc liquet quid ſit iuſtificare.

Quiſquis fecerit uolũtatem patris mei, ipſe meus frater, ſoror & mater eſt. Supra admonui ex collatione locorum, factum uoluntatis dei ad opera pertinere, quæ hic ſummo honore dignatur dominus omnium, Mariæ etiam, hoc eſt, Chriſto iunctiſſimi reddimur per bonorum operum pia exercitia.

Cap. xiij. Parabola de auditu uerbi docet, fruſtra auribus atq; ani mo concipi uerbum, ni conceptum fructificet. Quando igi tur incipietis erubeſcere auditores tantum, & non ſolũ non factores, uerumetiam factorum hoſtes? Tria habet textus, Audire, Intelligere, Fructum facere. Maius horum fru ctum facere.

Angeli colligent è regno dei omnia ſcandala, & eos qui patrant iniquitatem. Actio quæ fit inuita lege, iniquitas eſt. Terreantur ſatores ſcandalorum in eccleſia, terreantur pec catores. Fides non excuſabit nec propugnabit olim uitam improbam. Angeli ſegregabunt malos de medio iuſtorum & mittent eos in caminum ignis etc̃. Ab oppoſito eluceſcit, quos ſentiat dominus iuſti uocabulo. Nec malos interpreta bere incredulos tantum, niſi inſanias.

Cap. xiiij. Baptiſta gladio ceruicem prębet propter doctrinam bo næ uitę. Tanto difficilius auditu eſt, ſi ob priuata uitia, q̃ pu blicæ religionis gratia reprehendaris. Predicatio bonorum operum accelerat crucem à manibus hæreticorum, corre ptio criminum à manibus mundanorum.

Cap. xv. Omnes ferè hiſtoriæ Euangelij nihil aliud ſunt, q̃ exem pla bonorum operum. Dictum enim eſt: Exemplum dedi uobis, ut quemadmodum ego feci, ſic uos faciatis. Si non ſa nare, dare potes.

Cap. xvi. Futurum eſt ut ueniat filius hominis in gloria patris ſui cum an

cum angelis ſuis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ſua. Hic locus toties per Biblia omnia congeminatus, unus pro mille ſuffecerit ad aſſertionem neceſſitatis operum.

Hoc dæmoniorum genus non egreditur, niſi per deprecationem & ieiunium. Nunquam peius audiuerũt duo iſta opera, atq; hac tempeſtate, & nuſquam ualidius in ea clamatur, atq; in Lutheriſmo. Vides uero horum neceſſitatem ac uſum in exigendis dæmonijs etiam. Cap. xvij.

De tributo. Scandalum ponere eum dicit dominus, qui non facit politica opera. Iam ſine peccato ſcãdalum nullum eſſe poteſt, Quare peccat qui Magiſtratibus non ſoluit tributum, uectigal, honorem, timorem.

Quiſquis humiliauerit ſeipſum, ſicut eſt puellus iſte, hic eſt ille maximus in regno cœlorum. Sui ſubmiſſio promiſſionem regni cœleſtis habet. Puer ob oculos ſtatuitur, ut ad huius formam deſcendas ſenex. Breuiter habes, innocentiæ puerili, non uirili fidei tantum, patere cœli portam. Abſciſionem membrorum, ſi obſtaculo pietati Chriſtianæ ſunt, neceſſariam, ut declines gehennam & obtineas uitam, eſſe ter dicitur. Quæ & ipſa præceptio arguit Monios ſiue ſolius fidei audaciſſimos atq; pertinaciſſ. aſſertores deſipere. Cap.xviij.

Clauium poteſtas percutit inobediẽtes in Eccleſia quantumuis credentes, & fidentes. Non prodeſt tibi, neq; fides neq; fiducia tua, ſi monitus nõ emendere. Malus eijceris tam ex Eccleſia q̃ è cœlo. Nõne oportuit te quoq; miſereri conſerui tui ſicut ego tui miſertus eram? Miſericordiam dei potiſſ. iactant, qui ea potiſſ. abutuntur. Eſt erga te miſericordia dei, ut tuam erga fratres inflammet, non ut hac fiſus, mundanas concupiſcentias ſectere. Audis oportere te miſereri alterius, ad exemplum eius, qui tui prior miſertus eſt. Audis itidem, niſi tu miſereare, miſericordiã dei repente in iram uerti. Sed ſurdo cantilenam.

Magi-

Magiſter bone quid boni faciam, ut habeam uitam æternam? Reſpondet magiſter unice bonus: Si uis ad uitam ingredi, ſerua mandata. Poſterioris tabulæ præcepta ſubdit, quo firmiorem redderet charitatem proximi, omittit priora, non ut leuiora aut ad ſalutem minus pertinētia, ſed quia magis obuia, Eccleſiaſtica uidelicet. Reddant rationem atq; adeo pudefiant in conſpectu dei, angelorum & hominum, qui ſub Chriſtianæ libertatis umbra, Decalogum oblitterare conabantur.

Da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo &c. Bono largitionis operi cœleſtē gazam promittit ὁ ἀψευδὴς Magiſter καὶ ὁ παντομάτως dominus. χῖσμα φοβοῦ ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία ἀπὸ τοῦ νόμου τῆς διαθήκης ἡμῶν μηδαμῆ ἀπολεῖται.

Facilius eſt camelum &c. Obſtat pecuniæ amor, quo minus, credens etiam, in regnum Dei ingrediatur. De ſuffocatrice pecunia in Luca legis. Omnis qui reliquerit &c. centuplum accipiet, & uitam æternam hæreditate ſortietur. Quàm ingentia promittuntur operi, Sed operi, quo non aliud difficilius.

Cap. xx. Parabola operantium in uinea, ſi quid aliud, roborat doctrinam operum. Inconcuſſum eſt, uocatis operarijs dari mercedem. Nouæ gloſſulæ nihil nobis offecerint, ſi modo textum ſibi inuiſum non deradant audaculi.

Cap. xxi. Vter è duobus fecit uoluntatem patris? dicunt ei, prior, id eſt, qui quod uerbis ſe negarat facturum, opere fecit. Vſqueadeo præſtat facere q̃ dicere. Negat os credentis filij, at manus implet, & patri ſatisfit. Modo nolle illud tegat pœnitudo, & in poſterum ore manuq; libens impleat iuſſum dei.

Cap. xxij Veſtem nuptialem non habens proijcitur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et ſtridor dentium. Hęc ueſtis fidem ſignificare non poteſt, utpote quā omnes habuerunt, quotquot ad nuptias, id eſt, Eccleſiam acceſſerunt, alioqui enim non ue-

non ueniſſent, de fictis catechumenis nunc nõ loquor. Propterea uero Iudæi inuitati non uenerunt, quia non crediderunt. Oportet igitur amplius quiddam ſit, quod adumbret ueſtis illa, Nempe charitas de puro corde, i. Timot. i. Et exterior bonæ uitæ ſpecies, ſeu toties laudata illa ἐυχημοσύνη in Paulo. Vetus indumentum abijcito fidelis, aut tu abijcieris. Induito nouum hominem Ephe. iiij. Coloſſ. iij. & uiſcera miſericordiæ. Alba ueſtis hæc eſt, quam à baptiſmi lauacro mundam attulimus, ut mundam in diem domini conſeruemus. Decor huius indumenti faciet, ut tutus ſis à formidabili ſponſi uoce.

Qui ſe humiliauerit exaltabitur. Virtus pulchre predicatur contra Monios. Humilitas deo longe gratiſſima, multa ſecum bona trahit. Cap. xxiij.

Hæc oportuit facere, Nempe iudiciũ, miſericordiam et fidem. Iudicium facis, ſi iuſte exequeris quod iuſtum eſt: Miſericordiam, ſi benefacias proximo, Luc. xij. uocat charitatem dei: Fidem, ſi neminem amicorũ inimicorumq́ ulla in re fallas, ſed dictis pactiſuè conſtes integer.

Beatus dicitur ſeruus fidelis, non à fide in deum (quam ubiq́ præſuppono, liceat enim mihi nunc ſic dicere) ſed à fide erga famulitiũ, & erga bona ſuis manibus credita. Idem mox cap. xxv. De hac fide ſupra diximus.

Non noui uos. Quos? Qui geſtant lampades ſine oleo, id eſt, fidem ſine opere. Fatuæ ſat credebant, id quod è parabola elicitur, ſed maius nõ habebant, Nempe beneficam ac cuiuis ſeruiendi cupidam promptamq́ dilectionem. Hanc ſcite appellat luminoſam D. Auguſtin. Profecto ἔλαιομ ἔλεος non eſſe non poteſt, hoc eſt, oleum miſericordia, utcunque reclamet meretricia quorundam procacitas. Ipſe magiſter allegoriam explanat Matth. v. quum inquit: Luceat lux ueſtra coram hominibus, ut uideant homines bona opera ueſtra. Capi. xxv.

k Iam ue-

Iam uero non lampas, ſed incenſum oleum lucet.

Talenti defoſſor conijcitur in gehennam, nec conducit illi, credidiſſe. Gratiam bene operãdi accepiſti, poſteaquam credidiſti, da igitur operam, ut exerta Gratia, bona opera cu mules. Sin nolis, habes ſententiam.

Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum paratum uobis ab exordio mundi, Eſuriui enim & dediſtis mihi edere &c. Aetiologicam, enim, iterum atq; iterum obſeruãdam moneo: Nam in ea diſputationis cardo uertitur. Et eadem, ut de ueritate certiores fiamus, in mox ſequente Negatiua repetitur. Cæterum in illis comicijs reuera experiemur, ſcripturam non fefelliſſe nos, quæ tot in locis conteſtetur, oẽs mortales iuxta opera olim iudicandos: Salus per Chriſtum parta, Chriſti obedientia obtinetur, innocentia poſſidetur; Vtinam ad hæc aures ſuas non obturent Ergomachi. Euidentiſſ. eſt, Iuſtos, i. qui è fidelibus opera miſericordiæ pſtiterunt, ituros in uitam ęternam, Cęteros in ignem æternum: ubi erit fletus & horror & amaritudo, & pœnitudo perpetua. Haud temere moneo obſeruandam eſſe Aetiologicam, quandoquidem uideo bonorum operum hoſtes in ſua interpretatione hanc de induſtria omittere in ſermone domini ad ſiniſtrarios, ne uideantur damnari propter neglecta charitatis opera. At nos à ueritate clari textus haudquaquã recedimus, ſciẽtes in hebræo Matthæo ſic legi: Ki Raabthi, ueen nethathem li leechol, id eſt: Quia eſuriui, & non dediſtis mihi ad edendum. In græco habet: Epeinaſa gar. Eſuriui enim. Eadem fraude omittunt Marc. x. uocem, æternã, quum textus in Matthæo (unde Marcus deſumpſit) Haij olam, græce Zoen æonion, id eſt, uitam æternam aperte habeat. Huiuſmodi ſuo tempore retegemus.

Cap. xxvi. Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem. Præſeruare opa uigiliæ et orõnis à tẽtatione maligni uł hinc claret.

Docete

Docete eos ſeruare omnia quæcunque præcepi uobis. Ca. xxviij.
Poſt euãgelij optatam uocem, docemur ab Apoſtolis pręcepta dominica, & docemur, ut ea ſeruemus. Quid uero hic uocatur, Seruare? Num memoria tenere? Artem memoratiuam ergo poſt fidem nobis ſolã eſſe neceſſariam uideo. Dicite, quando uos ueſtræ uanitatis pudebit falſi gloſſematarij?

# EX MARCO.

IOannes Zachariæ inſtantis regni prænunciator à nobis Cap. i.
ſuſpici ſatis non poteſt. Gens Luderana facit hunc horrificum Moſen, de more ſuo quæ uult egregie ſomniãs, quaſi ipſe dominus non eadem ferè (cuiuſmodi iſti Moſaica Cynicaue & pluſq̃ Timonica eſſe arbitrantur) predicarit, non dicam fecerit. Quem igitur hunc facietis? Age conferamus: Ioannes dixit: Pœnitẽtiam agite, inſtat enim regnum dei. Idem Chriſtus Matth. iij. Ioannes increpuit progenies uiperarum &c. Idem Chriſtus Matth. xij. & xxiij. Ioannes docuit de fructu arboris. Idem Chriſtus Matth. vij. Ioannes arguit Abrahæ generis fiduciam. Idem Chriſtus Ioan. viij. Ioannes predicat fidem filij Ioan. iij. Idem ipſe filius ubiq;. Ioannes reprehendit Herodem. Idem Chriſtus Lu. xiij. Ioannes docet bona opera et dedocet mala Luc. iij. Idem per omnia Chriſtus & multo abſolutius. Ioannes baptizat. Idem Chriſtus Ioan. iij. Tametſi per diſcipulos Ioan. iiij. Ioannes erat in deſerto. Idem Chriſtus Marc. i. vi. Luc. iiij. xxi. Ioan. x. Sed tamen frequentius in ciuitate, ſic exigente cauſſa. Abhorrent iſti delicati martyres à Cameli pilis & locuſtis, gaudent palatijs regum & conuiuijs pontificalibus. Idcirco Ioannes non facit ad rhombum ſuum. Ais, teſtem accipimus Ioannem & qui à ſe ad Chriſtum auditores remittat, Admodum. Igitur ne

nunc nobis mortuus? Remiſit à ſe ad Chriſtum, id eſt, à Moſe ad Comum? Ita ne ſcribæ pulchelli? Ad Chriſtum miſit (nam ipſe promiſſus ſeruator nullis modis erat) Sed propterea ne ut nunc uelut à triſti Catone dimiſſi, apud Chriſtum agerent pro ſui animi ſententia? Conuerſatione ciuili erat dominus, ſi cum Eremi ciue comparetur, & aliquanto indulgentior: ſed quanto, dic mihi, mitior huius doctrina q̃ Moſaici Ioannis? Imò quanto immitior, ſi tot uæ, tot gehinom, tot uermes immortales, tot minationes, tot increpationes, tot terrificas apophaſes, tot præcepta conſyderes? Eia amicule fuge Eremitam patruum, ut cũ Chriſto ſuaui conuictore ſcilicet liceat genialiter græcari. Chriſtus pœnitentes à Ioanne recipit miſſos quidem, ſed receptos ac per gratiam ex fide ſua ſaluatos, philoſophię addicit, neutiquam molli, ſed ſuæ, hoc eſt Chriſtianæ, in qua crucifigatur caro cum mundo, idq́ꝫ aſperius, q̃ à Ioannitis apud Iordanem fiebat. Proinde qui ab eremo fugit, à Sinai, à uirga, ut liceat ſecundum carnem uiuere in Eccleſia, is non ad Chriſtum, ſed ad Theudam aut Iudam Galilæum aut Mahometam aut ad alium quempiam pſeudochriſtum fugiat oportet. Hic uero pluuiam fugiens, in fluuium incidet.

Cap. xij. Laudatur à domino ſcriba ob cordatam reſpõſionem. Ea uero fuit: diligere deum & proximum, plus eſſe q̃ uniuerſa holocautomata & uictimas. Quod ut ueriſſimum eſt, ita quibuſdam ſimplicioribus perſuaſu difficil. In latria publica nemo non officium pręſtat, At hoc opus hic labor, ut diligas, ut non oderis, ut non inuideas. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, præcipui præcipua cura ſit, ſi uelis iuxta Euangelium eſſe Catholicus.

Amen dico uobis, ꝙ uidua hæc pauper plus miſit &c̃. Adeo curæ deo ſunt bona opera, ut uel minutiſſimam ſtipem reſpiciat, & de hoc opere ſermonem ad diſcipulos habens, in-

bẽs,inſigni elogio ipſum decoret.De hac re paulo inferius.

Tres Mariæ emerunt aromata ut uenientes ungerent Ie ſum.Hoc nõ poteſt non bonum opus eſſe,quandoquidem ipſe dominus Matth.xxvi.Mar.xiiij. bonum opus appellabat,in ſe profuſum unguentum.Apud Lucam cap.viij.dicitur Magdalena,Ioanna Chuze,Suſanna & aliæ miniſtraſſe domino de facultatibus ſuis. Ioſeph ab Arimathæa mercatus eſt ſindonem,qua extinctum dominum inuolueret,& poſuit eundem in monumento ſuo nouo . Nicodemus dedit de ſuo mixturam myrrhæ & aloẽs ingentis precij,Ioan. xix.Magi regij Perſę donarunt aurum domino puero.Mat thæus telones fecit domino conuiuium magnum, Lucæ.v. Idem in Bethania Lazarus, Ioan. xij. Cuiuſmodi bona eſſe opera domino(qui propter nos pauper factus fuit.ij.Corin thio.viij.)exhibita,nemo ſanus negat.Et omnia hæc ipſi do mino ualde placuerunt, ut nos quoque prouocaremur ad opus munificentiæ, ſcientes, domino dari , quicquid puſillis ſuis detur.Dices: Illi quos allegas diuites fuere,quid de mus pauperes? Audi Tobiam pædagogum: Fili ſi multum tibi fuerit,abundanter tribue:Si exiguum fuerit, exiguum li benter impartire ſtude &c. Nemo fidelium uſqueadeo pau per eſt,ut cum uidua paupere duo æra minuta interdum da re non poſſit.Grata eſt deo eleemoſyna tenuis à tenui profecta. Nũmulum petenti te das, ſed drachma, ſtaterem, coronatum daturus,ſi eſſet facultas.Talem animum cum exiguo ſiclo aſpicit & gratum habet dominus.Apoſtoli cum in deſerto præter quinq; panes ordeaceos & duos piſces nihil ha berent edulij,incontanter alijs dederunt. Quid, quod ipſe dominus è paupere crumena, quam Iſcariota geſtabat,egenis dare conſueuit,Ioan.xiij. Paulus ſcenopœius ( Chryſoſtomus uocat alibi ſutorem pellium,alibi fabrum tabernaculorum)in tenui re alijs, non ſibi ſolum, proſpicit Acto.xx. Cap. xvi.

ij. Theſſ. iij. Heliſeus pauculos panes ſibi allatos, alijs impertit, cuius hoc uerbum præclariſſ. da populo, ut comedant, iiij. Reg. iiij. Palmam aquæ plenam pro magno munere accepit à muliere Perſarum rex: benignius à te paupere accipiet poculum aquæ frigidæ Rex regũ Ieſus, donantis quippe animum magis q̃ donum reſpiciens.

# EX LVCA.

ZAcharias Euangelium gloriæ magni dei germane intellexit, quemadmodum oda eius loquitur. Nam poſt cantatam Gratiam redemptionis ſecundum promiſſiones, conuertitur ad doctrinam bonorum operum, quorum ipſe & Elizabeta uxor pleni fuerunt. Quare ſic ſentit: Non ſatis eſt Lutheriſta, euangelice credere, niſi & euangelice uiuas. Non ſatis eſt ἀλητεύειν (fingo enim nunc uos nihil in docenda fide mentiri) ſed λατρεύειν quoq; ad rem pertinet. Cultum uultis, ſcio, ſed quemuis citius atq; hunc, quem Zacharias è ſpiritu pręſcribit. Sanctitatem et iuſtitiam non uultis, niſi internam. Exteriorem ceu hypocriſim calumniamini, adeo, ut nephas ſit, ſanctitatis uti uocabulo, niſi de fide loquaris. Vindicabit à ueſtra tyrannide plus q̃ Aegyptia ueritatem apoſtolicæ doctrinæ iuſtus deus.

Cap. ij. Anna Phanuelis ſuo tempore afflicta uidua, hac tempeſtate inclementius affligitur ab Ergomachis, quorum licet ſunt, qui opus precationis & ieiunij in uniuerſum non reſpuant: nullum omnium tamen audiui, qui cõcedat latriam deo his operibus præſtari. Malũt enim diſſimulare Lucam λατρεύουσα ſcripſiſſe, q̃ opera honorare. Cuius latriæ confeſſio, eſt hæretici Lutheriſmi retectio.

Cap. iij. Quærunt turbæ, publicani, milites: Quid faciemus? Quæſtio hæc poſt fidei non fictæ profeſſionem prima ſemper fuit

per fuit apud electos dei. Noſtri homines eam quæſtionem ſuperuacaneam ſibi eſſe exiſtimant, fide ſola contenti. Facere, inquiunt, Chriſti eſt, qui pro nobis fecit.

Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo. Qua epitoma ſignificare uoluit Lucas duplex doctrinæ genus Baptiſtæ. Alterum quo euangelizauit Agnum Dei, Alterum quo inſtruit, quibus euangelizarat, caſtos mores. Euangelizabat Ioannes, ſed idem παρακαλῶν. Quod poſterius ad inſtitutionem uitæ ſpectat. Atq; huc pertinet doctrina paulo ante data, de faciendo ſolicitis, & increpati phariſæi, & reprehenſus rex, non ob inceſtum modo, uerumetiam ob omnia mala, quæ fecit. Qui nihil niſi euangelizat, is à deo non uenit, nec intrat per oſtium in ouile. Paulus fundamento, qui Chriſtus eſt, iacto, ſuperſtruit inſtitutionem bonorum operum, & clamat: παρακαλῶ, Baptiſtæ nimirum, & cum primis domini ſui imitator minime lubricus Rom. xij. Ephe. iiij. i. Theſſ. iiij. &c. Idem Petrus i. cap. ij. v. In lib. Actorum ſæpe coniuncta leges, euangelizare & docere, præſertim cap. v. & xx. Item Luc. xx.

Vitam Chriſtianã credentes in ſe docet dominus. Obteſtor Schiſmaticos, ut quem ſaluatorem receperunt, eundem Magiſtrum quoq; aut ferant, aut de ſaluatore taceant. Siquidem is dicit: Non noui uos, Matth. vij. xxv. Catholicos oro, ut quando ipſi ſaluatorem & magiſtrum Chriſtum ferre poſſunt, toto corde, tota anima, tota uirili incipiant ſic facere, quemadmodum Matth. v. vi. vij. & hoc ſexto Lucæ docentur. Facite, iterum dico facite, & erit merces ueſtra multa, & eritis filij altiſſimi. Cap. vi.

Date & dabitur uobis. Obſerua, &, in iſtis legibus. Promiſſiones opulentiſſ. fiunt dantibus bona, & remittentibus mala. Cætera fere apud Matthæum.

Remittuntur peccata eius multa, quoniam dilexit multum. Cap. vij.

tum. Quam inuiſa uerba noui Euangelij architectis. Laborant miſere, ut gloſſis à natura ſua ueritatem expellant, ſed tamen uſq; recurrit. Priſci Theologi adeoq; uere Theophori, fidem ſolam non docuêre, ſemper uero addiderunt aut charitatem aut conuerſationem. Sic ſcribit S. Polycarpus in epiſt. ad Philippenſes: Si digne in eo conuerſati fuerimus, et ſi crediderimus, conregnabimus cum eo. Idem Polycarpus in eadem epiſt. Huius (Ieſu) ſanguinem requirit deus ab ijs, qui non crediderunt in eum, qui reſuſcitauit eum à mortuis, Qui & nos reſuſcitabit in uitam, ſi fecerimus uoluntatem eius, & ambulauerimus in mandatis ipſius, & dilexerimus quæ & ipſe dilexit, auocantes nos ab omni iniuſtitia, hoc eſt à concupiſcentia, ab auaritia, à detractione, à falſo teſtimonio &c. S. Clemens ſic ſcribit: Aduentus gloriæ ſperatur implendus, cum ueniet dare regnum credentibus in ſe, & ſeruantibus omnia, quæ pręcepit, lib. i. Rurſum S. Clemens: Et ideo nos non negligimus predicare uobis, quæ ſaluti ueſtrę ſcimus eſſe neceſſaria, & qui ſit uerus dei cultus oſtendere, ut credentes deo, per bona opera poſſitis unà nobiſcum futuri ſæculi hæredes exiſtere. Lib. iiij.

Cap. viij. Quod ſupra de facto uoluntatis dei ex Matth. vij. & xij dixi, hic clariſſ. cõfirmatur: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui uerbum dei audiunt & faciunt illud. Cuius autem matres & fratres ſunt, qui audiunt, non faciunt uerbum? Denique quales illi, qui neq; audiunt neq; faciunt?

Cap. x. Quæſtio deſcribitur, quo modo uita æterna poſſideri queat. Ad hanc reſpondetur: Per opera dilectionis dei & proximi, ad quam oraculum illud exhortatur: Hoc fac & uiues, id eſt uitam æternam poſſidebis, ut quæſiſti. Ergo monachi mei dicunt, Chriſtum hic ironia ludere, ut ſit ſenſus: Hoc fac & uiues, id eſt, alia nunquam facies aut facere ualebis. Igitur mox quoq; ludit, quum repetit: Vade & tu fac ſimiliter.

Ludit

Ludit & in Apocalyp. Prima opera fac. Maxime omnium in Ezech. quum iubet, ut nobis cor nouum faciamus. Nihil audacius finxit natura hoc genere hominum.

Cap. xi.

Beati qui audiunt uerbum dei & cuſtodiunt illud. Inijciunt & hic ſcrupum in planiciem. Senſus eſt: Cuſtodiunt, id eſt, in corde & memoria, non dicit faciunt. Reſpondeo: Quid aliud eſt cuſtodire Luc. xix. Vbi ille ait: Hæc omnia cuſtodiui à iuuẽtute mea, ἐφυλαξάμην, nempe idem uerbum, quod hic ponit, & ne tergiuerſeris Cap. xix. quoq; de retinendo in corde uerbo dici, pręcedit quęſtio, Magiſter quid faciã &c. ut de factis modo intelligi oporteat. Sed quid hoc diluo, cum toties in ſcriptura legatur de cuſtodiendis mandatis, de ſeruandis præceptis &c. certe externo opere?

Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uobis. In mediam increpationem interſerit exhortationem. Omnia munda mundis, id eſt, fidelibus per charitatem operãtibus. Qui eleemoſynas faciunt ut ſpectentur, alijs proſunt, ſibi obſunt.

Cap. xij

Locus de parandis ſacculis & theſauro indeficiente, ſupra in Matth. ut pleraq; alia quæ hic prætermitto. Beati dicuntur uigilantes ad aduentum domini. Hæ uigiliæ ſunt de ſyderantium & gementium, ut appropinquat tandem abſoluta redemptio.

Seruus cognoſcens uoluntatem domini ſui, & ſe non præparauit nec fecit ſecundum uoluntatem, plagis uapulabit multis. Hęc nobis credentibus dicuntur, quos neq; fides neq; cognitio diuinæ uoluntatis iuuabit, ſi deſint facta. Infidelibus deteriores, infidelibus puniemur grauius.

Cap. xiij

Parabola arboris in quatuor annos toleratę ob ſpem fructus, admonet, ſuccidendos credẽtes in alimoniam ignis inextincti, niſi fructus operum ferant in tempore ſuo.

Agonizate ingredi per anguſtam portam. Sunt omnia



40

perſpicua.Beatus qui intelligit,beatior qui facit, qui fecit omnium beatiſſimus eſt. Quæ hanc legem conſequuntur,accurate ſcrutator. Vita bona omi ſermonis genere infigitur, id quod minime futurum erat, ſi indifferens eſſet,uiuere & operari.

Cap. xiiij. Voca pauperes & beatus eris, quia non poſſunt rependere tibi.Rependetur autem tibi in reſurrectione iuſtorum. Nihil potuit à Chriſto euidentius dici pro defenſione bonorum operum. Taceant et muta fiant labia doloſa, cuiuſmodi agnitæ atq; confeſſæ ueritati hactenus obſtinatiſſime & impudentiſſime contradixerunt.

Cap. xvi. Facite uobis amicos ex mammona iniquitatis,ut cũ defeceritis,recipiant uos in æterna tabernacula. Item:diſtribue pauperibus & habebis theſaurum in cœlo.Hęc & id genus loca duplici modo uſurpamus: Aut in horum potentia atque autoritate pugnamus contra Miſergos, & euincimus bona opera ad cœleſtes ſcenas conducibilia: Aut horum ſalubritate nos ipſos ædificamus, adq; ſtudium euangelicæ uitæ appellimus.

Purpuratus epulo in flamma cruciatur,propter cõtemptum operum & uitæ melioris.Hoc ſecta negat, quia ſecta eſt,& blaterat interim nobis,diuitem iſtum fide caruiſſe &c. Reſpondeo:Epulo iſte credidit,uti Iudęus in Moſe & prophetis educatus, obſeruans cæremonias dei ſecundum legem. Talis autem fidem uenturi Meſſiæ quoq; habuiſſe putandus eſt.Id quod ſi neges,eadem opera negabitur, Lazarum fidem Meſſiæ habuiſſe, neq; enim hoc euidentiore argumento conſtat.Porrò epulonẽ credidiſſe,declarat quum ait:Pater Abraham,Præterea: Mitte Lazarum, Quæ etiam reſurrectionis fides eſt. Ad hæc dicitur, domum eius paternam Moſen & prophetas habere. Vltimo comminiſcitur pœnitentiam,rem profecto piam, & quæ reſpiciat credentes. Tot

res. Tot fidei ſigna ne in Lázaro quidem inueneris. Cauſſa uero damnationis illius fuit impœnitentia, unde ipſe timet fratribus ſuis, nimirum ipſis quoq; impœnitentibus, & ea uita, qua is à uiuis diſceſſerat, ne ad eundem locum cruciatus uenirent. Si ſecũdum charitatem ambulaſſet fidelis Iudæus, in eum locum non deiectus fuiſſet. Norat dicere: Domine domine, ſed uoluntatem dei facere recuſarat. Completum eſt in Epulone uerbum Chriſti: Væ uobis diuitibus, qui habetis conſolationem ueſtram. Completum eſt in mendico: Beati qui eſuritis nunc, quia ſaturabimini, Lu. vi. Vtriq; redditum eſt, iuxta opera ſua. Epulo eſurientem non pauit, ideo iuit in ignem æternum, Matt. xxv. Mendicus compaſſus eſt, ideo conregnat, iuit per multas tribulationes in regnum dei, ij. Timoth. ij. Actu. xiij. Sed audiendus iudex Abraham: Fili recordare, quia recepiſti bona &c. Lazarus ſimiliter mala. Habes aſſignatas rationes utriuſq; ſortis. Scopus parabolæ eſt, ut uoluptarij reſipiſcãt in tempore: Scopus alterius partis, ut ærumnoſi fideles patientiam habeant ſpe mercedis.

Vos quum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt uobis, dicite: Serui inutiles ſumus, quæ debuimus facere, fecimus. λουθερομανίτας aliquot, ut ſapiant, fruſtra moneo. Iactant hũc locum ꝓ dogmate ſuo. Redeat igitur Lucas & mutato textu ſic ſcribat: Serui inutiles ſumus, quæ debuimus facere non fecimus. Redeant ſcholiaſtæ & ſic adnotent: Imò facere noluimus, facere nos non poſſe finximus, facere ceu indifferens duximus, contra facere tonauimus, facere in alijs ceu hypocriticum riſimus. Sed dono, ſerui inutiles ſunt, at non tales de quibus hic dicitur, ſed nepotes illius de quo Matt. xxv. Seruum inutilem eijcite in tenebras exteriores. Cap. xvij.

Parabola phariſæi & publicani non aduerſus bona opera, ſed fiduciam, ſuperſtitionem ac ſuperbiam operariorum propoſita eſt. Sic enim habet ſcopus parabolæ: Dixit ad Cap. xviij.

quoſdam, qui in ſe confidebant quod eſſent iuſti & aſpernabantur cæteros. Nec opera hæc per ſe bona iuſtitiæ laude caritura erant, ni ea faſtùs phariſaicus coinquinaſſet. Publicanus deſcēdit iuſtificatus in domum ſuam. Vtiq; ſed num ſola fide? Da textum. Imò bona opera eius humili ab animo profecta lego, de fide nullum apiculum lego. Fidem in primis habuiſſe eũ oportet, ſed hic tribuitur iuſtitia cordi contrito & humiliato, præterea confeſſioni, precationi, addo ad hæc religioſos geſtus. Epiphonema litem dirimit: Qui ſe humiliat, extolletur. Ad eum modum potero Latroni bona opera in aliquo ſenſu attribuere. A fide inerat in eo charitas, qua proximum oportune increpuit, inerat in eo metus dei, quem in ſocio deſyderauit. Confitebatur peccatum ſuum, iuſtificabat Ieſum, ueritati teſtimonium perhibens, orabat toto affectu &c. Ioannem Chryſoſtomum uide in Homilia de Latrone. Equidem ea fecit, quæ homo pius in tanta neceſſitate debuit. Eſurientem paſcere, peregrinum colligere huicq; lauare pedes, mutuum dare, corpus in ſeruitutem adigere, liberos Chriſtiane inſtituere & his ſimilia opera operari non potuit, quippe ab hominum conſortio in palum ablatus.

Cap. xix Hiſtoria Zacchæi docet filietatem Abrahæ non in fide tantum eſſe ſitam, Nam hic homo poſteaquam crediдiſſet, & bona ſua in pauperes diſpergens, filius Abrahæ eſſe dicitur, ad exemplum patris Abrahæ, qui fidem ſuam operum optimorum laude æquauit.

Cap. xxi. Vigilate omni tempore deprecantes ut digni habeamini effugere omnia iſta &c̄. Hic locus apertiſſ. declarat per opera fieri, ut digni reddamur, quos à futuris malis & uentura ira miſericordia dei cōſeruet. Dico miſericordia dei, Nam hæc non reſpuit opera, uti nec opera miſericordiam.

Ex Ioan-

# EX IOANNE.

Cap. iij.

QVemadmodum opera mala malos inquietãt & meticuloſos faciunt,ut ſibi conſcij uidelicet in concilio iuſtorum comparere uitent:ita efficiunt opera bona, ut boni tãquam leo confidens abſq; terrore in lucem clariſſ.prodeant,non metuentes ſibi ab auditione mala . Eam laudem ipſe dominus in media fidei predicatione bonis operibus uendicat,Nempe quod faciant confidentẽ atq; intrepidum.

Cap.v.

Prodibunt qui bona fecerũt in reſurrectionẽ uitæ: Qui uero mala egerunt,in reſur.condemnationis. Cõſentit cum Matthæo cumq; reliquis ſcripturis Ioannes, nec obſtat, q aliquoties fidei uitam æternam adſcribit. Facit hoc non diſſimulanter,ſed non uult in ſententiam ſectæ accipi.Id quod ſi hic locus minus expugnaret, abunde iſtud facerent literæ eius Apoſtoli.

Dominus ipſe ad operum teſtimonia in dimicatione confugit,per quæ ſciamus,ipſum à patre miſſum.Sic quoq; ait cap.x. Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc teſtimonium reddũt de me.Mox uocat ea,opera bona Iudęis oſtenſa,unde certi reddimur,Miracula Chriſti,opera bona & eſſe & appellari poſſe,in illuſtrius ornamentum uerbi ſalutis. Opera fidem conciliarunt domino, & ualde accommoda fuerunt ad peragendum ſalutis negocium. Me, inquit cap.ix. oportet operari opera eius qui miſit me, donec dies eſt.Quis uero credet nos dei eſſe filios, Chriſti diſcipulos ac fratres, Si noſtræ profeſſioni lux bonorum operum nihil atteſtetur?

Cap. viij.

Si filij Abrahæ eſſetis,opera Abrahæ faceretis.Ex operibus uult cognoſci ueros Abrahæ filios. Iudæi genus,ſectæ fidem patriarchæ uenditant, opera uiri eæ uiliducunt: Orthodoxi uero,de genere nil ſoliciti,fidem & opera Abrahæ

l iij paribus

paribus ueſtigijs inſequuntur,ut non nothi ſed germani fi- lij ſint,& benedictæ promiſſionis participes.

Cap. ix. Si quis dei cultor eſt & uoluntatem eius facit, hunc ex- audit. Theoſebia & obedientia faciunt ad exauditionē pre- cationis,id quod alibi quoq; ſcriptura loquitur. Quid? obe dientia promouet etiam cognitionem Euangelicæ doctri- næ.Supra cap.vij. Certe in maleuolam animam non intro- it ſapientia.

Cap. xij. Odium animæ propriæ, id eſt,contemptum uitæ huius uita æterna dignum eſſe Miſergus negat,Chriſtus affirmat. Animæ ob Chriſti fidem gloriamue profundendæ prodi- gus,uiuet in æternum.Mox: Si quis mihi miniſtrauerit,ho- norabit eum pater meus.Honori nobis eſt apud deum,Ser- uire. Alibi gratiæ eſt,Matthæ.v. i.Pet.ij. Item laudi,Rom.ij. Alibi honorem ei pollicetur,qui ſe honoret,i.Reg.ij.Adeo ſordent opera coram deo ſcilicet.

Cap.xiij. Exemplum præbui uobis &c. At cuius rei exemplum, niſi bonorum charitatis operum? En frater,dominus & ma giſter tuus it præ in uia bonorum operum,tu ſequere, non reſpiciens. Habes operarium Chriſtum tuum, hunc æmu- lari detrectes? Nullum Hypodigma bonorum operum in uniuerſis Biblijs illuſtrius & auguſtius eſt,atque hoc unum Ieſu Chriſti.Ab hoc qui diſcrepat, condemnabitur.

Si hęc nouiſtis,beati eſtis ſi feceritis ea.Noſſe parum eſt, niſi q̄d noris,facias, Audis uero factores beatos dici. Quæ ſententia multa ſcripturarum ui rata ac firma fit.

In hoc cognoſcent omēs, quòd diſcipuli mei ſitis,ſi cha ritatem habueritis inter uos mutuam. Chriſtianorum nota charitas eſt,non Chriſti cognitio & Theologiæ ſcientia.Fra trum ſtigma minime fallens eſt impletio legis, à domino ſe- mel atq; iterum inculcatæ,nimirum hoc cap.& xv.id eſt,bo num opus,non fides,non auditio,non tinctio,nō cœnatio.

Qui ha

Qui habet præcepta mea & ſeruat ea, ille eſt qui diligit me. Eodem pertinet: Si diligitis me, præcepta mea ſeruate. Rurſus: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Item xv. Si pcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea. Inculcatur, charitatem non à lingua, ſed ab opere pendere: Deinde opera legis Chriſti è charitate oriri: Poſtremo efficere opera præceptorum, ne decidamus ab amore domini erga nos, & ab amore noſtro erga eum. Ca. xiiij.

Totus hic ſermo ſchematicus eò tēdit, ut quotquot credidimus, fructiferi ſimus in operando. Eſſe aũt facile iſthuc, Nam operandi uim è Chriſto accipi, in quo per efficaciam myſteriorum implantati ſumus, Nihil uero operum facere quenꝗ poſſe, citra huius opem. Ducēda uxor Hanna, id eſt, gratia. Hæc, ne dubites, pariet tibi puerum optimum, fructum uentris ſui, uidelicet bona opera. Ita ferme Origenes. Cap. xv.

Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæcunꝗ ego præcipio uobis. Inimici Chriſti ſunt, ſi qui non faciant pręcepta illius, ijdem mendaces in Canonica Ioannis dicuntur, in Paulo negatores dei, & paganis deteriores.

Pater amat uos, quia uos me amaſtis & crediditis, ꝙ à deo exierim. Prouocat amorem amici patris amor noſter. Verum is amor nullus eſſet, niſi prius amaſſet pater. Prior amauit quidem, ſed præſtat noſter amor, ut redamantes adamare pergat. Fides amori poſtponitũ, non ꝙ ante fidem amemus, ſed ut innuatur, fide maiorē potioremꝗ eſſe amorem, i. Corinth. xiij. Vnde dominus ad tædium uſꝗ Petrum rogat, num ſeſe amet, Vtrum credat toties non rogat, quippe contentus confeſſione fidei apud Matthæum. Euidenti argumento eſt trina quæſitio, nil uſquam eſſe, quo magis delectetur bonus deus, atꝗ una dilectione ſponſæ. Cap. xvi.

## EX ACTIS APOST.

Erant

Cap. i. ERant perſeuerantes unanimiter in deprecatione & oratione &c. Exempla tam illuſtria obſiſtere non potuerunt, quo minus ſuauiludij noſtri orbem contra bona opera cierent. Apoſtoli, Maria, ſanctæ mulieres, conſobrini domini, non orarunt ſolum, uerumetiam orationi inſtiterunt, incubuerunt, inſeruierunt, inuigilauerunt, adhęſerunt. Eiuſmodi enim ſonat uox græca Lucæ trita, Paulo etiam familiaris, quoties niſum aliquem & diligentiam ad res obeundas ſignificare uoluit. Rebus afflictis confugiunt ſanctiſſimi ad certum orationis præſidium, & mouetur oratorium, Actorum iiij. atq; adeo fit iuſtus terræmotus Acto. xvi. Quo ſigno declarauit omnipotẽs uim boni opis. Sic Moſes orans, ſed in altum ſublatis puris manibus, meretur uictoriam de Amaleck. Sic Helias orans claudit & aperit cataractas cœli. Cuiuſmodi accedunt ad præconium doctrinæ bonorum operum. Ananias ad orantem Saulum bonus nuncius mittitur, Act. ix. Petrus lætior nuncius mittitur ad ieiunantem et orantem Cornelium, Acto. x. Apoſtoli captant & tempus & locum orationi diutulæ congruum, Acto. iij. & x. Orant in domo Mariæ cuiuſdam magno ſtudio, Acto. xij. Philippis exeunt iuxta flumen oraturi, Acto. xvi. &c.

Cap. ij. Erant perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum & communicatione & fractione panis et precationibus &c. Mox: Erant quotidie perſeuerantes unanimiter in templo, & frangentes per ſingulas domus panem, inuicem ſumebant cibũ, cum exultatione & ſimplicitate cordis laudantes deum &c. Habes uitam Monaſticam, id eſt, uere euangelicam in exemplo primæuorum Chriſtianorum. O ſęculum aureum. Quàm planè afflat hæc exorientis Eccleſiæ deſcriptio ſpiritum ignemq; ijs, qui primæui doni, priſcæ ſanctitatis ac diſciplinæ ex animo ac ardenter cupidi ſunt. Ipſa rei lectio Energitica eſt, nedum res acta. Vides uero mera ibi opera eſſe, ope

ribus

ribus primam illam ſanctorum communionem coijſſe, operibus conſtitiſſe.

Habes à Petro datam eleemoſynam, non aurum aut argentum, ſed bonam ualetudinem claudo, nobis ſanam doctrinam. Ibidem concionatur Petrus, ſignificans conuerti eum oportere, qui peccata ſua deleta eſſe uelit. Ad hæc miſſum Ieſum, ſemen benedictionis, ut unuſquiſq; conuertat ſe ab iniquitatibus ſuis. Cap.iij.

Tabitha erat plena operibus bonis & eleemoſynis quas faciebat. Laus diſcipulæ à re omnium contemptiſſima in ſchola Lutheri. Sed rectiſſ. fit, ut quod ſpiritus ſanctus probat, hæreſis improbet. Cap. ix.

Cornelius religioſus & timens deum cum tota domo ſua, præſtans eleemoſynas multas plebi, deprecansq; deum ſemper, audit angelum dei dicentem: Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam coram deo. Periocham hanc utinam poſſim perſonare in omnium hominum aures, qui à Chriſto cognomen habent. Sed Germania ἐργόμαχος aures non habet, os habet. Induxit illa in animũ, nolle recipere quod ſit à Saxonica febri diuerſum, cuius duriciæ pœnas ultori deo dabit. Cæterum Centurio operarius fidei non expers fuit (quando ſine fide impoſſibile eſt placere deo) alioqui mortua opera feciſſet. Fidem incarnationis indubie habuit, incarnatum uero Ieſum neſciuit. Qua fide iuſtificatus, opera ſuperintulit. Hæc ante retectum illi myſterium regni etiam deo acceptiſſima fuêre, tãtum abeſt ut non accepta illi ſint, quæ poſteaquam reuelato Euangelio, Chriſtum ſeruatorem exacte cognoris, facias. Ne dicam opera huius ante reuelationem, nonnihil momenti habuiſſe ad acceptionem Euangelij, quãdoquidem ita habet eius ad Apoſtolum narratio: Ecce uir, ait, Corneli, exaudita eſt oratio tua. Mitte ergo in Ioppen &c. Non ocioſa eſt rationalis ζῶν. Cap.x.

m Præceſſit

Præceſſit tamen in ipſo quoq; gratia, quæ & ſubſequitur, ne triumphet Pelagius. Simili modo non reticet Paulus, ſe miſericordiam conſecutum, eô quòd per ignorantiam Eccleſiæ reſtiterit. Quod nullæ aures ferrent, niſi Paulus dixiſſet. Dixit uero ut ſciamus, Miſericordiam prouocari aliquando, & eſſe, cur miſereatur Opt. Deus. Nihilominus fatemur, illud ipſum miſericordiæ eſſe, quo prouocetur miſericordia. i. Timoth. i.

Verbum Petri: Qui timet deum, & operatur iuſtitiam, is acceptus eſt illi. Palam alludit ad rationalem ʹοὖρ. Operari iuſtitiam nihil aliud eſſe poteſt, q̃ exercere opera iuſtitiæ, domi ac foris, erga deum & hominem. Habes bonorum operum ſectatores deo acceptos eſſe. Hoc ſi mentitur Petrus, libenter cum illo nos mentimur: Sin uerum dicit, traditur Satanæ Lutheriſmus omnis.

Cap. xiiij. Exhortantes, ut perſeuerarent in fide, & per multas tribulationes oporteat nos ingredi in regnum dei. Sic ſupra cap. viij. datur ſpiritus ſanctus per impoſitionem manuum uelut per medium opus. Item in Paulo. Iuxta hanc ſermonis figuram dicere mihi licet, inuitis inferorum portis, credentem per multa opera oportere ingredi in regnum dei, non aliter ac incredulos & ficte credulos per peccata deſcendere in Orci culum. Operando & patiendo apprehendimus uitam æter. ſi in fide perſtiterimus. Fidelis ſermo & omni acceptione dignus.

Cap. xx. Locos pœnitentiæ colligere animus non fuit. Nam ea res aliud inſtitutum requirit. Verum iſtud non ſubindicare non potui, Paulum hic pœnitentiam docere, quæ eſt erga deum, ut cognoſcāt Miſergi ſe errare, quum dogmatizant, fide duntaxat erga deum agi. Porro confer, ut cætera, Pauli uitam (cuius formam aliquam Mileti reliquit, aliquam in epiſtola Corint. i. cap. iiij. & ij. cap. iiij. xi. Philip. i. & i. Theſſ. ij.) cum ui-

cum uita noſtratium Paulorum, & liquebit ita illam bonis operibus plenam fuiſſe, ut hanc malis.

Cognoſcant hic quoq;, conuerſationẽ exteriorem ad deum uſq; pertingere, & deſinant dare cœlo fidem tantum, terræ opera. Idem cap. xxiiij. Equidem magnæ probitatis eſt, coram deo & hominibus in bona puraq; conſcientia conuerſari. Cap. xxiij.

Euangelizat Felici & Druſillæ fidem Paulus, ubi non ceſſat nec finit ſermonem, ſed differit poſt Euangelium gratiæ dei, de iuſtitia, temperantia, & iudicio futuro, ut concionatoribus forma præberetur, quemadmodum ca. xxvi. ubi cum pœnitentia pœnitentiæ opera docet. Cap. xxiiij.

## EX EPISTOLA AD ROMANOS.

PRimo ſtatim & ſecundo capite, Epiſtolam oratorum more ingreſſus, exagitat cum Iudæis Græcos, ob aliud nihil, q̃ quod deſignatis flagitijs, nollent culpam agnoſcere & pœnitere, propterea eam impœnitentiam certo ſecuturum iudicium in die iræ. Inde mox aſcendens obiter prædicat Ethicæ legis opera tam in Iudæis quàm Græcis.

Qui redditurus eſt unicuiq; ſecũdum facta ſua, his quidem qui per patientiã boni operis gloriam & honorẽ & immortalitatem quærunt, uitam æternam &c. Sic docuerunt de operibus omnes prophetæ, Magiſter, apoſtoli, apoſtolici, epiſcopi, ſcriptores uſq; ad maiores noſtros. Quare amentes ſimus, ſi nũc diuerſam ab hac doctrinam perſuadere nobis ſinamus, uel ipſum è cœlis delapſum Gabrielem. Cap. ij.

Non qui audiunt legem, iuſti ſunt apud deum, ſed qui legem factis exprimunt, iuſti habebuntur. Factores legis hic iuſtificari ſcribit, quum alioqui neget eſſe è lege iuſtitiam.

 Reſpondeo;

Reſpondeo: Alibi loquitur de legalibus, quæ Euangelizatores iudaici (Sic enim uocat illos Tertullia.) ceu neceſſaria in Eccleſiam ingerebant, & item de Moralibus uidelicet ante fidem: at hic de lege dei loquitur, qua docemur bene agere, unde pr̨emittit, auditores, quod multi ſoleant audire, pauci facere. Item præmittit: qui in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Ad hæc connectit de gentibus, quę naturaliter habent quæ legis ſunt, ut uideas hunc locum de morali ſolum intelligi oportere. Atq; hic demum facit Paulus cum Iacobiana epiſtola.

Si præputium iuſtificationes legis ſeruauerit &c. Perſuaſum mihi eſt, uocabulum legis polyſemon eſſe. Alibi eñ̄ ſignificat pentateuchum modo, & hoc peculiarius, Iudæis etiam ſuffragãtibus, quando ha Thora crepant: alibi totum uetus Teſt. ut i. Corinth. xiiij. In lege ſcriptum eſt, &c̄. cum ſit in Eſaia ſecundum LXX. alibi ſignificat præceptum unum è lege, id eſt, libro legum Moſaicarum: alibi ſimpliciter uerbum dei: alibi habet & Chriſtus legem, i. Corinth. ix. Gala. vi. In Paulo noſtro iam legalia duntaxat, quæ paſſim uocat opera legis, iam moralia tantum, ut proximo loco & & infra cap. vij. & xiij. Iam ſimul legalia & moralia complectitur, licet hoc perquàm raro. Vtraq; ſentit Philipp. iij. in iuſtitia legis &c̄. & Tit. iij. Non per opera iuſtitiæ quę fecimus. ij. Timoth. i. non ſecundum opera noſtra &c̄. Proinde neceſſe habent Theologi, ut accurate diſpiciant, quid quo loco uocet legem Apoſtolus. Lex per Euangelium abrogatur Hebr. & lex per Euangelium ſtabilitur, Roma. iij. Niſi igitur diſtinguas inter legem et legem, aut in Manichęi aut in Ebionis ſpermologiam imprudens incides. Cęterum adnotato loco iuſtificationes legis ad Ethicam pertinet. Loquitur enĩm de incircumciſis, qui facientes legem, circumciſis anteferuntur. Vtrobiq; lex eſt, ſed præputij præſtantior,

quia

quia Ethica,& ea pars legis,uerbo gratiæ ſtabilita, adhuc ui get. Huc pertinet, quod uirtutes grauiora legis appellat in Euangelio dominus,Matth.xxiij. Verum ut maxime ſentiat Apoſtolus totam legem,uidelicet cęremonialem et moralem,quoties opera legis dicit, non repugnat tamen orthodoxæ doctrinæ,quandoquidem aut contra Iſraëlitas tonat, qui reſpuebant fidem Euangelicam,uiſi ſibi citra hanc iuſti, eò quòd ſectarentur legem iuſtitiæ, ſuam iuſtitiam, ſiue opera legis Rom.ix.x.aut contra eos fulgurat,qui etiam abſq; ſi de Ieſu iuſtitiam ex lege habere poſſe Iudæos fratres arbitrabantur,quanquam ipſi, iam credentes, è fide ſua, non ex morali lege ante facta,iuſti habiti fuerant,utcunq; ſibi legis merito ad gratiam perueniſſe uidebantur, Atq; nec ita uiceris,ſi uel iniquum donem.

Hoc toto cap.clariſſime patet,in hoc apparuiſſe Gratiam ſaluatoris,ut declinemus à malo,& faciamus bonũ. Damnatur itaq; ſecta & de falſo Euangelio, & de carnali uita. Debebat hęc,ſi ſaperet,in hoc cap.et huius ſimilibus potiſſ. uerſari, ut ad emendationem morum ædificaretur, & non conſeneſcere uelut ad Sirenum ſcopulos,in pugna Iudaica, Cuius bona pars nobis nihil negocij exhibet. Catholici utuntur hoc cap. in doctrina Baptiſmi & Chriſtianæ circumciſionis, item priore parte ſequẽtis ſept. Cuius ſenſus eſt: Viri fratres, à Moſe liberati eſtis,ſed Chriſto emãcipati, ne putetis licentiam eſſe libertatem.Moſes exegit à uobis ſeruitutem, exigit Chriſtus quoque ſeruitutem,licet diſparem. Hic noua omnia,nouus ſpiritus,nouus homo, noua creatura, cuiuſmodi cum per regenerationem facti eſtis, ſeruire & fructificare deo debetis, abundantius etiam ꝗ antea ſub uetuſto ac literali Moſe. Nota autem fructificare deo eſſe rectas actiones deo gigni,interprete Vulgario. Hoc illud eſt, quod toties mihi uolo,Nempe bona opera deo fieri, à quo Cap.vi. Cap.vij.

 & fiunt.

Cap. viij. & ſiunt in nobis, & rependuntur nobis. Huic ſept, adijce aliquot periodos octaui cap. contra uitam ueteris Adæ, quæ proh nephas, proh noſtram fidem, rerum nunc in Ecclesia non ſua ponitur.

Cap. xij. Rationalis cultus dei conſiſtit in correctione prauorum morum. Libet huc nonnihil Origenicum afferre: Si quis ſu perbiam corporis ſui uincat, is imolat uitulum: ſi iracundiam ſuperet, arietem: ſi libidinem, in holocauſtum offert hircum: ſi uagos cogitatus reſecet, columbas & turtures. Breuiter hoſtia uiuens, ſancta, deo placens, corpus eſt incontaminatum. Hæc ille. Nazianzenus theologus Orat. iij in hũc modum de hoc ſacrificij genere concionatur: Liberemur ab omnibus inquinamentis, tam carnis ꝙ ſpiritus. Lauemur, puri fiamus, offeramus & nos, corpora & animas noſtras ſacrificium uiuens, ſanctum & placitum deo, Colloquium noſtrum ſit rationale: Nihil enim adeo puro eſt dignum, quemadmodum puritas & purgatio, Certemus per certamina, uincamus per uictorias, teſtimonium præbeamus ueritati per martyres, cũ talibus eorũ gratificemur certaminibus, ut nos quoq; coronæ fiamus participes, et eiuſdem gloriæ hęredes. Hoc ſacrificij genus aut eſt neceſſarium ad uitã, aut non neceſſariũ. Si eſt neceſſariũ, pudeſit ſecta cũ dogmate. Si non neceſſariũ, indifferens eſt. Si indifferens, licebit in peccatis manere, contra Rom. vi. Catholica anima Paulum audiat ſignificantiſſime præcipientem: Ne συσχηματίζεσθε ſæculo huic, ſed μεταμορφοῦσθε per renouationem ſenſus ueſtri, ut probetis quæ ſit uoluntas dei, quod bonum acceptumq; & perfectum ſit, id eſt, curate ut Chriſtiani ſitis operetenus.

Cap. xiij Nam præterijt tempus peccandi, ceu atra nox, Tempus uero bene operandi per Euangelium illuxit. Quare abijcite opera tenebrarum, & induimini ceu arma opera lucis, ut εὐσχημόνως conuerſemini, dum dies eſt, quò cum uenerit dies tene-

es tenebrarum & caliginis, Sopho. i. dies uiſitationis & retri butionis, Oſe. ix. fiduciam habeatis, i. Ioan. iiij.

Qui in his (iuſtitia, pace, gaudio ſpiritus) ſeruit Chriſto, acceptus eſt deo & probatus hominibus. Sępe in literis apoſtolicis inuenire eſt, ſeruitus dei & Chriſti, ut noua libertas (quod uenenũ orbi propinarunt noui apoſtoli) ad ſaxum ueritatis alliſa frangeretur. Proximo per charitatem ſeruiendum eſſe conceſſerunt è quinto ad Gal. compulſi, Quidam etiam monuerunt, ſed omnes æque horrent, ſi dicas Seruire Chriſto oportere liberos. In ſeruitutem legis nemo quenq̃ in Eccleſia redigit, quod olim faciebãt pſeudapoſtoli ij. Corinth. xi. Gala. ij. v. Cap. xiiij.

Debent & hæ (gentes) in carnalibus miniſtrare pauperibus ſanctis. Debitum noſtrum eſt, ut bene erga fratres & ſorores in Chriſto operemur. Huc pertinent loci: Debetis alter alterius lauare pedes, Ioan. xiij. Et Roma. xiij. i. Ioan. iiij. Nemini quicquam debetis, niſi ut diligatis inuicem. Hoc debitum à nobis poſcit, cui debemus omnia. Cap. xv.

# EX PRIORE CORINT.

APparet exordio, Chriſtianos inculpatos eſſe debere in die, ſiue in diem, Philip. i. domini noſtri Ieſu Chriſti. Pertinet uero hoc ad exteriorem conuerſationem, de qua tempore iudicij gaudebunt, qui tempore gratiæ in ea præcelluerunt. Cap. i.

Quæ oculus non uidit &c. præparauit deus diligentibus ſe. Locum hunc in Eſaia uidimus. Crebro monendi ſumus de re omnium certiſſima atq; ſaluberr. Vita ęterna pręparata eſt diligentibus deum, non credentibus ſolum. Cap. ij.

Non in uerbo regnum dei eſt, ſed in uirtute. Niſi hoc Paulus diceret, blaſphemum iudicaretur ab ijs, quorum res tota in Cap. iiij.

tota in uerbo, concione, garritu, atramento conſiſtit. Virtute, id eſt, ut exacte Eraſmus, ui cœleſti, quæ concordia, malorum tolerantia, & totius uitæ innocentia declaratur. Valentinianus Impera. epiſcopos monuiſſe legitur, ut præeſſent οὐ λόγῳ μόνῳ, ἀλλὰ καὶ βίῳ. Iuſtinus auditor Apoſtolorum ad gentes ſic ait: Non in uerbis ſed in factis uerſantur res religionis noſtræ. Et Ignatius ſic: Non dicere, ſed eſſe facit beatum. epiſt. ad Magneſianos. Gregor. Nazianzenus Orat. i. ſic ait: Cæterum pietas nequaq̃ in eo conſiſtit, ut ſæpius loquamini de deo, ſed illã magis in taciturnitate eſſe ponimus, ſiquidem hominum lingua lubrica eſt, præcipue cum ratione non gubernatur: ac ideo ſemper auditum ſermone tutiorem eſſe cenſemus, & ſuauius eſſe de deo aliquid diſcere, q̃ docere. Sermonis igitur inquiſitionem exactiorem diſpenſatoribus relinquite, uos uero pauca uerbis, multa uero operibus pie agite: ac potius leges obſeruetis, q̃ ut legiſlatorem admirationi habeatis. Rurſum Orat. xv. Sapientia non ſermonibus ſplendet, ſed operibus collucet. Extat præterea in epiſtola Senecæ xxiiij. hoc dictum: Turpiſſimum eſt quod nobis obijci ſolet, uerba nos philoſophiæ, non opera tractare. Hodie certe nihil aliud comperimus, q̃ Theologiæ uerba ueluti cymbala reſonare: De factis ſilent om̃ia. Si philoſophia mũdi huius non dicere, ſed facere docet, & totam hanc Socrates ad mores reuocauit, quãto uerius iſthuc philoſophia Chriſti? Gorgias aliquando perorans de concordiæ laude maleaudijt à Melantho, ꝙ ipſe domi ſuæ concordiam inter pauculos non haberet. Eudemonidas in Academia Xenocratem uidens de uirtute philoſophantem, quando inquit, utetur ea? Panthydas item cum audiſſet philoſophos de rebus grauibus diſputare, ait: Sermones iſti nihil utiles ſunt, niſi ijs utamini. Hinc illud Laconis eſt, qui Athenienſes quidem honeſta ſcire, ſed non facere dixit. In hanc ſen

tentiam

tentiam nihil potuit conſummatius dici, quàm quod ab Euripide optatum eſt, quando ſic inquit: Vtinam miſerum mortalium genus elingue ſit, resq́ ipſæ pro uoce hominibus ſint. Quæ memorarim, ut à paganis ſemipagani diſcamus, quandoquidem ſcholam Chriſti ferè pertæſi ſumus.

Paſcha noſtrũ pro nobis immolatus eſt Chriſtus. Hoc Euangelium eſt. Itaq; feſtum celebremus in azymis ſynceritatis & ueritatis. Hæc parænesis eſt, Euangelio cõtigua. Sermonis conſequentia ſic inferunt: Chriſtus pro nobis mortuus eſt, Ergo poſita malicia, ſynceri ueriq́ ſimus. Sic cap. vi. auocat à peccando. Nam, inquiens, empti eſtis precio. Q. d. Redempti eſtis, quia peccaueratis, non ut peccetis, aut uobis peccãdo palpetis. Sic Gal. i. ut eripet nos &c. ſic Ephe. v. ſcriptum trad. ut purifica. &c. Sic Coloſſ. i. per mortem, ut exhib. nos ſanctos &c. Ad quem modum Tit. ij. Qui dedit ſeipſum pro nobis, ut redimeret & purificar. &c. Rurſum ij. Cor. v. Pro omnibus mortuus ut qui uiuit &c. Noſtri globi his gaudent epiphoris: Chriſtus pro nobis mortuus eſt, ergo liberi ſumus ab onere, ergo peccantes non perimus, ergo inutilia ſunt opera, ergo præcepta dei nos non obligant ad gehennam, quia ea pro nobis impleuit Chriſtus. Quando uero hoc ſuum paradoxum ſcripturæ ueritate confirmabunt, quando roborabunt? Nondum uidimus, nondum legimus. Cap. v.

An neſcitis, ꝙ iniuſti regnum Dei non conſequentur? Quos uocet iniuſtos, mox exprimit, Nimirum flagitioſos. Audin' uero tu Lutheriſta, craſſa peccata (quorum ſcripturam rationem habere negas, quando & mundus ea damnet) prohibere credentes à cœli limine? Idem ad Epheſi. & Gala. Attamen ne non pateat elabendi rima, repellunt à cœli foribus Papas, cardinales, præſules, ſacerdotes, monaſtas, Nonnas, Zuinglianos, Anabaptiſtas, breuiter quicquid non Cap. vi.

n quid non

quid non eſt Lutheriſticum: idq́ tam propter incredulitatem, quàm prauam uitam.

Cap.vij. Circumciſio nihil eſt & præputium nihil eſt, ſed obſeruatio pceptorum dei. Quorſum hæc Paule? Sunt ne aliquid opera legis, quæ tu toties reijcis? Aut igitur aliud eſt, cum ais opera legis, & aliud, cum ais obſeruatio præceptorum dei, aut tibi ipſe non conſtas. Atqui tibi conſtas. Proinde aliud eſt opus legis, aliud obſeruatio pręceptorum, quorum illud nihil eſt, te ita dicente, hoc uero aliquid eſt. Intellexiſtis hæc omnia?

Cap. ix. Sic currite ut apprehendatis. Quid? uitam æternam, Ita enim ſequitur. In ſtadio eccleſiæ curritur per merita: quæ Chriſti merito ualent: ad hæreditatem poſſidendam. Sic Beda: Nobis currendum eſt, ſed in uia. Qui præter uiam currit, inaniter currit. Via per quam curritur, Chriſtus eſt, per illum curris, ad illum curris, in ipſo requieſcis. Hæc ille ex Auguſt. Extra ſtadium eccleſiæ non curritur. Aut ſi curritur, in terris rependitur. Quemadmodum Romanorum uirtutibus honorem et temporale bonum repenſum fuiſſe Auguſtinus in ciuitate ſua exiſtimat.

Cap.xiij. Si linguis hominum loquar et angelorum, & ſi omnem fidem habeam, Charitatem autem non habeam, nihil ſum. Præconium charitatis poſt ſe relinquit omnia. Fruſtra credis, fruſtra fidis, fruſtra euangelizas, ſi ἀνυποκριτον Charitatem dei, & proximi à ſpiritu datore non habeas, ſi ſecũdum charitatem non ambules, ſi per charitatem fraternitati non ſeruias.

Nunc autem manẽt, fides, ſpes, charitas, Tria hęc, ſed maior horum charitas. Non tutum eſt hac ætate, qua ſola fides regnat, iſthuc palã confiteri. Sed audemus maius quiddam, Deus charitas eſt, i. Ioan. ij. Nuſquam legitur: Deus fides eſt. Item; Charitas eſt perfectionis uinculum, non fides, Col. iij.

Charitas

Charitas eſt finis præcepti Moſaici, non fides, i. Timo. i. Porrò quanti fidem ſua in claſſe faciamus, alibi teſtificatus ſum. Non me pudet Euangelij. Amo cum Paulo loqui, amo cum Paulo tacere. Fateor mihi placere ſacras literas, à ſtylo ſcribarum recentiorum illæſas. Si id peccare eſt, fateor id quoque.

Abundantes in opere domini ſemper, ſcientes q labor ueſter non eſt inanis in domino. Operemini domino, laborate, ſudate in eccleſiaſtica uinea, merces ueſtra eſt in cœlis. Nam niſi eſſet reuiuiſcentia mortuorum, in uanum & laboraretis & certaretis, Atqui eſt reuiuiſcentia, Certum igitur brabion ſtrenue currentibus polliceor. Cap. xv.

Si quis non diligit dominum Ieſum Chriſtum, ſit anathema, Maran atha. Epiſtola in doctrinam charitatis deſinit, utpote quam uſqueadeo per omnia laudarit. Maledictioni extremæ deuouet non diligentes Chriſtum. Iam qui hunc non diligunt, nec proximum diligunt. Qui proximum non diligunt, non bene operantur erga proximum. Fit igitur, ut qui non bene operetur, deuotioni anathematis reddatur obnoxius, Iuxta Pſal. cxviij. Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Cap. xvi.

## EX POSTE. CORINT.

GLoriatio noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimplicitate &c. Periodus hęc ad conuerſationem ſpectat, de qua gloriari non uno in loco ſolet Apoſtolus. Vide Act. xxiij. xxiiij. ij. Tim. i. Sic etiam cōmemorat, i. Theſſ. ij. q̄ ſancte & iuſte apud illos uixerit. Ad hāc uero gloriationem adigit ſanctos poteſtas tenebrarū aduerſaria. Qua ſæuiente ſubit piorum conſcientijs uitæ inculpabiliter actæ recordatio, unde haud mediocrem conſolatio- Cap. i.

nem, nec abiectam fiduciam in aduerſis accipiunt. Sic gloriatus eſt de bonæ uitæ conſcientiã, etiam coram deo Moſes Num. xvi. Domine tu ſcis &c. Pręter hũc Samuel. i. Reg. xij Qui ipſe quoq; deum teſtem ſuæ conuerſationis inuocat, et eam fiduciam illi ſuæ ipſius conſcientiæ teſtimonium addidit. Iob item cap. xxxi. Dauid in Pſalmis ſæpiſſime. Et Ezechias Eſai. xxxviij. Memento domine quomodo coram te ambulaui &c. Et Hieremias cap. xviij. Recordare domine, quod ſteterim &c.

Cap. iiij. Mômentanea leuitas afflictionis noſtræ mire ſupra modum ętermum pondus gloriæ operatur nobis &c. Fructum tribulationis tranquillum, Hebr. xij. æternam gloriam fore promittit in Paulo ſpiritus. Hanc immortalitatis gloriam, quam pręcedit mortalis ignominia, ineffabilem facit. O uehementer optatam crucem, quæ tanta gloria dignos reddit ſui baiulos. Hęc ſententia Rom. viij. ſic enarratur: Siquidem cum Chriſto cõpatimur, ut & unà cum illo glorificemur. Et ij. Timoth. ij. Si compatimur, & conregnabimus. Huc illud quoq; apud Lucam refertur: Beati qui fletis, quoniam ridebitis. Labore paratur requies. Et triſtitia uenitur ad gaudium. A Caluaria iter eſt ad paradiſum Chriſtifidelibus. Ab humilitate aſcenditur ad ſublimitatem, A cruce ad thronum Philip. ij.

Cap. v. Quapropter contendimus ſiue domi ſiue foris peregre agentes, ut deo placeamus. Omnes enim nos manifeſtari oportet coram tribunali Chriſti, ut reportet unuſquiſq; ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum ſiue malum. Hæc profecto credentibus & uere euangelicis Corinthijs ſcripſit, ut locus non ſit tergiuerſationi. Si hoc terrore domini non terremini, ut ſchiſmatici à dogmate ſimul & conuerſatione reſipiatis, non terrebimini, ſi quidam ueſtratium à mortuis reſurgentes, tale nuncient. Chriſtus pro

omnibus mortuus eſt, ut qui uiuunt, poſthac non ſibi uiuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt & reſurrexit. Habes hic quoq;, quod ſupra monui, mortem Chriſti cauſſam eſſe debere, cur, a malis abluti, bonis poſthac uacemus operibus. Ille morte ſua uitam noſtram quæſiuit, & ſibi eam demeruit aſtrinxitq;. Eſt æquiſſ. permutatio, Chriſtus nobis mortuus eſt, ut nos illi uiueremus. Placet nobis illius mors, placeat illi uiciſſim noſtra uita. In corpore mortali mortificatoque illi nunc uiuamus, ut in corpore immortali cum illo uiuamus.

Ecce nunc dies ſalutis; Ne quam uſquam demus offenſi onem &c. Sed commendemus noſipſos ut dei miniſtri in tolerantia multa, in afflictionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs. Ipſe cætera in contextu legito. Palam facit, tempus Euangelicæ gratiæ, tempus Chriſtianæ uitæ & bonorum eſſe operum. Euangelium ortum eſt in mundo malo, ut ex hoc delecti mali, boni fiant & bonarum actionum zelotæ. Cap. vi.

Habentes igitur promiſſiones Chariſſ. mundemus noſipſos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctimoniam in timore dei. Schiſma κακῶς πάσχει, quoties ſanctimoniæ mentionem fieri audit, quippe contentum, quod Chriſtus ſanctimoniam perfecit. Quare ſi is perfecit, irritum eſt, ſi tu quid conere. Sic igitur emendabitur diuinitus inſpirata ſcriptura: Habentes promiſſiones Chariſſ. non mundemus nos ab omni inquinamento carnis, quia non poſſumus, nec opus eſt, Chriſtus enim qui potuit perfecit ſanctimoniam noſtro nomine. Ad hanc normam corrige illud in Petro e Leuitico: Ne ſancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum, ait dominus, & id genus plurima. Quod ego εἰρωνεύων dixi, ut ſaltem hac uia aliquid apud ualde ironicos iſtos proficiam. Cap. vij.

Illud autem dico: Qui ſeminat parciter, parciter & meſſurus eſt, Et qui ſeminat in benignis collationibus &c. Hic Cap. ix.

ſemina frater, ut illic metas. Seminantur uero opera, metitur uita æterna, Gal.vi. Hic euntes imus & flemus mittentes ſemina noſtra. Venie͠tes autem ueniemus (ad œcumenicum iudicium) cum exultatione, portantes manipulos noſtros, Pſalm.cxxv. In hanc ſententiam concionatur S. Auguſtinus: Supereſt, inquiens, chariſſimi, ut agri huius quotidiani atq; perpetui ſtudeamus eſſe cultores. Seminemus in eo frugem bonæ conſcientiæ, ut cum tempus Meſſis, id eſt, conſummationis & dies reddendæ rationis aduenerit, cum ſecuritate & exultatione, bonorum operum manipulos reportemus, & poſt contritionem ieiuniorum præſentis Quadrageſimæ, laudabilium Actuum candore ueſtiti, & indumento caſtitatis ornati, ad feſta futura procedamus, & paſcha illud æternum piorum inſerti Concilijs celebremus, pręſtante domino noſtro Ieſu Chriſto.

## EX GALAT.

Cap.i. QVi dedit ſeipſum pro peccatis noſtris, ut eriperet nos ex præſenti ſæculo malo. Iterum atq; iterum infigit animis noſtris, alteram dominicæ mortis cauſſam, præuidens nimirum in ſpiritu, obiter ingreſſuros ſpurcos Gratiæ prophanatores, quorum blandiloquentia & cauponatione uetus diſciplina rueret. Mors Chriſti deterrere te debebat, ne peccares, & tu hac frætus peccas, nec te peccaſſe pœnitet. Chriſtus mortuus eſt pro peccatis noſtris, ne peccare pergamus. Hoc ſentit ibi Paulus. Precio ſanguinis ſui redemit nos de hoc ſęculo (quod peccata malum efficiunt) atq; adeo eripuit, ne in poſterum in malo ſæculo mali ſimus, ne iuxta ſæculum & eius deſyderia uiuamus, Sed ab hoc liberati ſaluatiq; gratis per fidem, accepto ſpiritu, liberatori in omni bono opere ſeruiamus. E præſenti ſæculo malo

malo per mortem crucis erepti ſumus credentes, non ut in eo non uiuamus, ſed ne illi, ne ſecundum illud, ne ad uoluntatem aut curſum illius uiuamus. Mors crucis facit, ut mundum crucifigi oporteat nobis, & nos mundo, ac fiat, ut mortui in mortuo mundo reliquum uitæ tempus conſumamus. Præſtat hæc ereptio, ut nunc liberti mundi ſimus, & fiamus ſerui dei, utq; libertini peccati ſimus, & fiamus ſerui iuſtitiæ, Rom. vi. vij. viij. i. Pet. ij. Cur hoc tam ſcitu neceſſarium cum Paulo infigente non infigam?

In Chriſto Ieſu neq; circumciſio neq; præputium ualet, ſed fides per dilectionem operans. Hoc cap. charitatem magis q̃ fidem docet Apoſtolus, charitatem inquam, ut quæ legem Chriſti impleat, & citra quam fides uel efficaciſſ. nihil ualeat. Dices: Fidei energiam tribuit. Reſpondeo: tribuit, ſed addita charitate, ſine qua nulla eſt, ſi quam habet, energia. Charitas anima eſt fidei, igitur à charitate, ſiue, ut hic dicitur, per charitatem habet energiam fides. Cap. v.

Expecto Moniorum grunnitus, quibus auditis, ſcripturarum collatione docebo, quid Apoſtolus energumenam fidem Galat. v. quid energumenam ſalutẽ ij. Cor. i. & energumenam uitã eodem loco, item quid energumenam operationem Coloſſ. i. & quid S. Iacobus energumenam orationem uocet, & attentabo, num Saturni falcem & Tinediam bipennem, qua omnia diſſecant, hebetare poſſim. Nam ſi hunc locum (quem ſi neſciunt, nunc ego illis commonſtro) amiſerint, maximam partem dogmatij amiſerunt.

Quoniam uero de libertate hac in epiſtola potiſſ. loquitur Paulus, & parum firmi eam in ſuam perniciem torquẽt, paucis accipe quid ſit libertas. Sacræ literæ de triplici libertate comminiſcuntur: Vna corporum, reliquæ animorum ſunt. Prima eſt, qua olim liberi erant ſerui anno ſeptimo, Exod. xxi. De hac libertate Hierem. cap. xxxiiij. Hanc libertatem

tatem item ſentit Apoſtolus,i.Cor.vij. Et ubi liberorũ mentionem interſpargit uidelicet i.Cor.xij.Gal.iij.Ephe.v.Huius generis libertas eſt, de qua apud Matth. cap.xvij. Igitur filij ſunt liberi. Nam filij regum patribus non pendunt tributum,quippe immunes. Altera uera illa libertas eſt, & noſtrã,Nempe qua liberi ſumus à ſeruanda Moſi lege,et gentes,& Iudæi, ita ut utroſq; non obſtringat,nec inducat iram maledictionis.De hac libertate Ioan.viij.Si uos filius libera. Item,i.Cor.x.ij.Cor.iij.Gal.ij.iiij.v.i.Pet.ij. Tertium libertatis genus, eſt qua liberi ſumus à peccato, ut ſerui iuſtitiæ ſimus,Rom.vi. De qua libertate ubiq; ſilentiũ eſt. Certe cum primis ad rem pertinet, hanc probe noſſe. Sed nolunt huc procedere,qui corda ſua ut nouæ ita infirmæ doctrinæ tradiderunt.

Cap.vi. Quicquid ſeminauerit homo, hoc & metet, Nam qui ſeminat in carnem ſuam,de carne metet corruptionem. Sed qui ſeminat in ſpiritum,de ſpiritu metet uitam æternam.Bonum autem faciendo ne defatigemur. Tempore enim ſuo metemus non defatigati. Itaq; dum tẽpus habemus,operemur bonum & c̃. Senſus eſt:Sicut feceris fiet tibi. Da & dabitur tibi in ſinu tuo menſura bona,concuſſa, referta. Non inanis eſt labor, non perit beneficentia. Meſſis opulentiſſ. æternæ uitæ ſatis ac ſuper omnia remunerabit,uſq; ad poculum etiam frigidæ aqulæ. Inuicem alij aliorum onera portate,& ſic complete legẽ Chriſti. Vno ſaltu bis peccas Paule,partim quod Chriſto legem tribuis, partim q̃ eam complere nos iubes. Nam Chriſto & legi nihil, dein nemo poteſt complere legem. Hoc dixi ſumpta perſona Lutherani cuiuſpiam.

## EX EPHES.

Electionem

ELectionem Chriſtianorum ad ſanctos mores & operã charitatis ceu in finem ſuum tendere, palam ibi legis. Cap. i.

Legis & hic Chriſtianos, ab his qui ante fuerant mutatos eſſe debere, Nam propterea fuiſſe ad Regni conſortium uocatos. Exui ac abijci uetuſtas debet, inſtar ſerpentinæ pellis, & ſuſpiranda Aquilæ renouatio. In uia peccati uenimus à mundo ad Eccleſiam, ſed curandum, ne illâc redeamus. Magi Chaldæi doceant nos, qui Chriſto cognito per aliam uiam reuerſi ſunt. Sic nos à prioris uitæ itinere abſtinentes, meliore uia ad paradiſum contendamus, q̃ ad Eccleſiam primum acceſſimus. Conditi ſumus in Chriſto Ieſu ad opera bona, quæ præparauit deus, ut in eis ambularemus. Intelligis creatos et recreatos nos eſſe ad perfectionem bonorum operum. De prima creatione exponit Baſilius, de ſecunda, uidelicet ſpiritali, Theophyla. ut ſcias utranq; noſtri conditionem exigere bona opera. Veriſſ. Theophyla. Poſt fidem inquit, ſuſceptam, operibus opus eſt, Datum eſt cœlum, ſed recte factis ad id eniti oportet. Cap. iiij. v. & vi. occupatur Apoſtolus operũ morumq; adhortationibus, quas utinam ſic legerent Ergomachi, ut legunt diſputationem aduerſus opera legis. Quę ad nos è paganitate conuerſos proprie pertinent, ferè negligimus, de alienis interim curioſi, id ſcilicet eſt iuxta Comicum foris, non domi ſapere. Sufficiebat ſemel exacte didiciſſe ac noſſe libertatẽ gentium à Moſi iugo: at in doctrina Euangelicæ innocentiæ aſſiduos eſſe conueniebat, quãdoquidem ſcriptura hac in parte frequentior eſt. Quod ſi uſque adeo expugnare pergent parænetícam, uideo epitaphio fore opus, tam uitę Chriſtianæ q̃ Chriſtianis operibus. Hos capitum ſcopos obſerua. Dico & obteſtor per dominũ, ne poſthac ambuletis, ſicut reliquæ gentes & c̃. Vos autem non ſic Chriſtum didiciſtis & c̃. ubi claret, Chriſtum ſiue Euangelium eò diſcere oportere nos, ut Cap. ij.

o per iuſti-

per iuſtitiam & ſanctitatem ueram, in nouitate uitæ conuerſemur. Sitis imitatores dei tanquam filij dilecti &c. Nūc eſtis lux in domino, ut filij lucis ambulate &c. Quæ omnia ſpectant ad commendationem probæ uitæ, ac utilitatem bonarum actionum.

Cap. vi. Scientes quod unuſquiſq; quod fecerit boni, hoc reportabit à deo, Coloſſ. iij. Scientes q̄ à domino recipietis mercedem hæreditatis. Nota ſententia eſt. Da Chriſte, ut uerbum tuum capiat in nobis, ad fructificandum deo. Nam tempus breue eſt, et nos uelut umbra fugimus. Nec quid nos ſequitur, præter quæ exegimus bona opera, Apocalyp. xiiij.

## EX PHILIP.

Cap. i. QVemadmodum i. Cor. i. ſic hic quoq; uult, ut inculpati ſynceriq; ſimus, ad diem dn̄i, Imò ut fructu iuſtitiæ repleti in iſto die ſimus. Audis opus nobis fore iuſtitiæ operibus, qn̄ ſtatuemur ad tribunal Chriſti. Idem i. Theſ. iij. & v. i. Timoth. vi. O unice neceſſaria ſolicitudò.

Tantum digne Euangelio Chriſti conuerſemini. Predicator gentium nuſquam dicit ad eos qui non operantur, Tantum credite, ſed ad eos qui credunt dicit: Tantum euangeliκῶς uiuite. Quid ? hoc ipſo capite refragatur ſolius fidei fabricatoribus cum dicit: Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolum in ipſum credere, uerumetiam pro illo pati. Proinde nemo clamatorum tibi illud eripiat: Nempe, tantum, fidei adimi & operibus adſcribi, quæ tamen credentiū ſunt. Cæterum utitur hic uerbo inſigniore, dum affectat nobis maiorem in modum commendare externæ conuerſationis ſtudium. Reſpicit uero huc, ut impetret politiam nō Ethnicam ſed Euangelicam. Cupit differre politiam Chriſtianorum, à politia paganorum, ſicut differt noſtra ab ipſorum philoſo-

philoſophia, & noſtrę Eccleſię ab ipſorum Muskæis. Nam ita eſt uoluntas dei Ephe. iiij. Admonet digne uocatione noſtra Coloſſ. i. & digne deo i. Theſſ. ij. ambulandum ijs eſſe, qui fide in album filiorum dei relati ſunt.

Cum timore & tremore ueſtram ipſorum ſalutem operemini, id eſt, ita uiuatis, ut ea quæ faciũt ad ueſtram ſalutem operemini. Theophyl. Apud Ioannem iubemur operari cibum, qui perduret in uitam ęternam. Eodem ſenſu iubemur hic operari ſalutem æternam, id eſt, eò referre quidquid aut agimus aut dicimus, ut apprehendamus obtineamusq́ uitam in cœlis, promiſſam & Agni immaculati merito promeritam. Cap. ij.

Scopus operum noſtrorum Brabion ſupernæ uocationis eſt, id eſt, uocati ſumus in cœlum Euangelica predicatione, illò tendimus, illic manet nos palma, quæ eſt merces hæreditatis. Cap. iij.

## EX COLOSSEN.

PRecatio apl'ica ad deum, ut uoluntate dei p̃cognita, ambulemus digne dño, atq; huic placeamus in omni bono opere fructum ferentes &c̃. Non auditur Paulus his in locis, quia nullibi minus Euangeliſta eſt, nec quid ab eo præter Euangelion requiritur. Vitam deo dignam à nobis exigere, eſt aquam è pumice à'cq; caluo capillitium poſtulare. Filius deo digne uixit, cuius uitam ipſe nobis donauit, ut iudici uitam deo dignam poſtulaturo dicamus: Tu pro nobis digne deo uixiſti. Qua ſatisfactione accepta, à uentura ira tuti nos, in cœlum pernices inuolabimus. Nam non de factis cognitor ac iudex eſt, ſed de fide noſtra. Quare nos debemus credere tantũ promiſſioni & fidere miſericordia. Chriſtus debet facere. Tali Chreſtologia ſeduxerunt corda ſim- Cap. i.

plicium Germanorum apoſtatici uerius q̃ apoſtolici præco-
nes, quorum Euangelion à uero Euangelio diſſonat, non di
ateſſeron, quale erat Tatiani, ſed dis dia paſon.

Aliud: Nunc autem reconciliauit uos in corpore carnis ſuæ per mortem, Vt exhiberet uos ſanctos & irreprehenſibiles & inculpatos in conſpectu ſuo. Supra locos conſentientes è Paulo aggeſſi, quibus hic, & quo illi genuine enarrentur. Chreſtologi mortem & ſanguinem Chriſti peccatis alendis predicant, Theologi uero tollendis. Illi tantum utuntur morte Chriſti ad conſolationem non pœnitentium (q̃s non habent, aut ſi habent, nõ ſunt ſui) ſed impœnitentium: ij uero partim ad conſolationem uere matureq́ue pœnitentium, partim ad monitionem ſiue exhortationem ſanctorum morum, ſicut hic & ſupra legis. Tantum diſcrimen eſt inter Catholicos & Luderanos.

Cap. ij. Sicut igitur accepiſtis Chriſtum Ieſum dominum, ita in eo ambulate. Idem cum Ephe. iiij. uos autem non ſic didiciſtis Chriſtum &c. Aperte exigit, ut qui Chriſtum in Euangelio didicerunt, Chriſtum in fide acceperunt, Chriſtum in gratia cognouerunt, Chriſtum in Baptiſmo induerunt, ſecundum Chriſtum uiuant, ad exemplum Chriſti ambulent, ueſtigia Chriſti inſequãtur, uoluntatẽ Chriſti faciant. Hanc ueritatem ſtabiliri audiemus in Canon. Ioannis.

Cap. iij. Eripuit nos benedictus ille à poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum ſuum, ut terreſtria, mundana, animalia, carnalia, diabolica uehementer ab animo contemnentes, ſuperna quæramus, ac cœleſtia curemus, ut hoc mundo utamur tanquam non utentes, & de patriæ, ciuitatis manentis, poſſeſſione ac fruitione cogitemus.

## EX PRIORE THESSAL.

Non in

NOn in uerbo ſolum, uerumetiam in uirtute. Quod ali os docuit i. Corinth. iiij. ipſe opere uerum facit. Hortatur, et præit uerus doctor. Cap. i.

Vt ambuletis digne deo, qui uocauit uos in regnum ſuum & gloriam. Vbiq; uides gratiæ predicatione hoc agere Apoſtolum, ut mores formet, non ſolum ut lætum afferat nuncium. Quòd uocati ſumus ad regnum gloriæ magni dei, gratię eſt, ſed ea uocatio gratioſa requirit uitam Chriſtianam & opera bona, uitam & opera inquam digna tam uocatione munifica, quam uocante deo. Cap. ij.

Quemadmodum accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos ambulare, & placere deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis &c̄. Lege quæ ſequuntur. Alibi audis, debere nos, hic oportere nos recte facere. Neſcio ſi quid tam confeſſæ ueritati addi poſſit. Cap. iiij

Non uocauit nos deus ad immunditiam ſed ad ſanctimoniam. Venit enim filius dei uocare peccatores ad pœnitentiam, non ad licentiam. Vocauit immundos ut mundi fiamus, & mundi apparitionem iudicis è cœlo expectemus. Tritum eſt in Paulo: Honeſte ambulandum.

Non conſtituit nos deus, ut iram nobis concitemus, ſed ut ſalutem conſequamur per Chriſtum. Eandem ſententiam aduerſum operum carnifices probe munit. Peccatores iram, operarij ſalutem conſequimur per Chriſtum qui uia eſt. Vbi ergo ſunt, qui in medio flagitiorum barathro ſibi æternam ſalutem pollicentur? Cap. v.

## EX POST. THESSALO.

PErſecutionem patientes digni habētur regno dei, cuius gratia etiam patiuntur. Textum torquere potes, negare non potes. Crux & uexatio dignos facit nos, aut certe facit Cap. i.

ut digni fiamus regno gloriæ, ſicut bonum opus uigiliæ & orationis quoq; Luc.xxi.utrobique idem in græco. Aliud: Qui non obedierunt Euangelio, pœnam luent interitum

Cap.ij. æter. Non dicit:qui nō audierunt Euangelium. Quid uero ſibi uelit obediendi uerbum, cap.iij.uides:Si quis nō obedit ſermoni noſtro &c̄. Hic iterum legis electos eſſe nos in ſalutem, et uocatos in acquiſitionem gloriæ. In fine huius capi. precatur, ut electi ac uocati ſtabiliantur in omni ſermone & opere bono.

# EX PRIORE TIMOT.

Cap.i. Finis præcepti eſt charitas &c̄. Eò omnia urget lex Moſi, ut charitas atq; amicitia in populo dei uigeat. Idem Roma.xiij.Gal.v.Matth.xxij. At non uulgaris charitas, ſed eius hominis, qui ſit puri cordis, bonæ conſcientiæ & rectæ fidei. Sic ſentit: Quid iactant nobis legem ſuam Iudæi fratres? Si amamus, legem ſeruamus.

Cap.ij. Nam hoc bonum eſt & acceptum coram ſaluatore noſtro. Quid obſecro? Vitam degere in pietate & honeſtate. Atqui hæc duo ad opera tendunt, quare ergo negant, Chriſto accepta eſſe opera? Sic cap.v. dicuntur opera uiduæ accepta eſſe coram deo.

Profitentes pietatem per opera bona. Sunt qui longum ſeparent à pietate opera, ſemet fallentes ex loco: Corporalis exercit.&c̄. Theophylact. Neceſſe eſt, ut mulieres ſe rectis operibus ornent.

Salua tamen fiet per generationem filiorum, ſi manſerit in fide. Num ſola? Adduntur, dilectione, ſanctificatione, caſtitate.

Puras manus &c̄. Docent hodie ſufficere ad orationem fidem, Paulus uero addit uitæ innocentiam.

Pietas

Pietas promiſſionem habet uitæ pręſentis et futuræ. Ad pietatem autem declarandam opera exteriora pertinere audiſti, Ad hęc iubetur Timotheus ut ſeipſum exerceat ad pietatem. Exercere uero foris fit, nec obſtat locus de corporali exercitatione ad pauca utili. Nam hoc de Encraticis obſeruationibus, ſentit quibus plus ęquo inſeruiebat ſui corporis crucifixor Timotheus. Tametſi eas non reijcit, imò ſæpe laudat, et ſe in his exercuiſſe iactat, ſed pręfert pietatem. Hęc in fide ac uita, in nocturna atq; diurna meditatione diuinæ legis, ac in beneficētia liberali conſiſtit. Tali per Paulũ promittitur æterna uita. Tale faciens ſaluabit ſe. Aſpice textum omnem. Cap. iiij.

Fidem abnegauit & eſt infideli deterior. Quis? Non bene operans erga familiares erga domeſticos fidei. Cæterum ſi non bene operans, aut qui deeſt officio ſuo, fidem abnegauit, infideli deterior factus, quanto magis fidem abnegat male operans? Si ad amuſſim dicti huius res Chriſtianorum exigenda eſt, nolo dicere, quid de nobis iudicari oporteat. Parce Ieſu, transforma nos ante obitum, ne in æternum pereamus. Cap. v.

Apprehēde uitam æternam ad quam uocatus es. Agonizans per arctam uiam noſtræ religionis præhende brabium. Sis iuſtus, pius, fidelis, amator, patiens, manſuetus, & accipies coronam. Vocatus es ut curras. Præfixum eſt brabium. Tuum eſt currere, acquirere, frui. Præcipe ut bene faciant, ut diuites ſint in bonis operibus. Syncere Chriſtianus ter diues eſt, Nempe diues fide Iaco. ij. diues erga deum, Lucæ xij. & diues bonis operibus. Germani totum hoc appellant, an der ſele reich. Turpe autem ſit, Ageſilaum gentilem monere, ut ciues non pecunia ſed uirtute diteſcere ſtudeant, nos uero præcipientem Paulum nō audientes, nummis honeſtum poſtponere. Porrò operum diuitiæ, theſaurus ſolidus eſt, Cap. vi.

dus eſt,quo recondito apprehenditur uita æterna. Notabis, quod ait, ut apprehendant uitam æter. Alludit enim ad dicta domini,de theſauro in cœlum colligendo.

# EX POSTE. TIMOTH.

Cap. i. BIs precatur Oneſiphori familiæ miſericordiam domini, maxime in die illo apud iudicem, propter refrigerium carceris.Beneficus Oneſiphorus, beneficum experitur deum.Miſericordia miſericordiam conſequitur,Matth.v.

Cap.ij. Signaculum fundamenti ceu Epigramma inſignius magna cura attendere conuenit,ne erremus.Errant autem,qui ſe dei eſſe arbitrantur,& tamen ab iniquitate neq; diſcedunt neq; curant diſcedere, cum ſcriptum ſit: Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt &c. Nominas nomen Chriſti, Dicis: Domine domine, Canis: Ieſus Chriſtus noſtra ſalus, Gloriaris in Euangelio,et non facis quę dicit,ſed deum per tranſgreſſionem dehoneſtas ac bonam doctrinam infamas. Aut igitur ab iniquitate diſcede,aut à ſignaculo.

Cap. iij. Vt integer homo dei ſit,ad omne bonum opus apparatus. Hic ſcripturæ finis, ut hominem Chriſtianum doceat, redarguat,corrigat,inſtituat, uſq; dum reddatur perfectus, adq; omne opus bonum conſummatus. Eò Eccleſia ſacras literas predicat,legit,recitat,canit,ut fiat in omni bono opere & cultu dei ſui abſolutior.In hunc finem ſunt diſquirenda arcana, excutiendæ quæſtiones, ſcribendi commentarij, uarijs linguis enarranda biblia.

Cap.iiij. Audis coronam datum iri diligentibus aduentum domini.Iam hunc nemo diligit, niſi qui cum gemitu illum expectat.Nemo autem expectat,niſi qui in anguſta uia iuſtitię per multas tribulationes agonizat. Promittitur ergo corona iuſti-

na iuſtitiæ iuſtis. Qui uero iuſti, niſi qui operantur iuſtitiam? i. Ioannis tertio.

# EX TITO.

OMnis in hoc eſt, ut mores ac facta doceat presbyteros, ſeniculos, anus, adoleſcentes, adoleſcentulas, ſeruos &c. Qualis enim Chriſtianiſmus, ſine Chriſtianis moribus? Exige ad hanc formam morum, quæ fideles nunc delyrant, & obſtupeſces.

Deum profitentur ſe ſcire, cæterum factis negant. Secta ſui commodi cataſectatrix interpretatur, deum factis, id eſt, operibus cæremonialibus negari, cum mox in textu ſequatur, quibus modis negetur. Facta uitæ improba belle diſſimulat, ſibi nimirum conſcia, quod Euangelium aneuangelicis factis negare & operibus tenebrarum obſcurare nõ deſinat. Exhorreſcite ad hoc Pauli dictum uniuerſi, qui in Eccleſia Chriſtum profitentes, non ſolum ad omne opus bonum reprobi, uerumetiam ad omne opus malum prompti eſtis. Cap. i.

Apparuit enim gratia dei ſalutifera omĩbus hominibus erudiens nos, ut abnegata impietate et mundanis deſyderijs, ſobrie, iuſte & pie uiuamus, &c. Predicatur gratia ſalutifera. Vtiq;. Sed in quem finem? Nonne in hunc, ut ab huius apparitione ſolito probiores ſimus? Contemplare circumſtantias. Verſatur in paræneſi ſeruorum, à qua aſſurgit ad predicationem gratiæ, ut uel hinc illi ad officium pellicerentur. Huc facit cauſalis, enim, Et ne hæſites in re certa, repente delabitur ad exhortationem morum, ac gratiam illam Chriſtianæ uitæ eruditricem facit, non eam, qua freti, ſecure in ueteri uita ſtertamus. Præterea deſinit tuba gratiæ in doctrinam operum, & concludit: Chriſtum eſſe mortuum pro nobis, partim ut nos ab omni iniquitate redimeret, partim ut purificaret ſi- Cap. ij.

p

caret ſibiipſi populum peculiarem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquor, & arguo Miſergos cum omni imperio. Nemo iuuentutem meam deſpiciat. Beneficium mortis requirit à nobis tum fidem, tum opera. Atq; nō ſolum opera, uerumetiam zelum operum, & ſolicitudinem operum et præſtantiam operum. Neq; enim ſolum uult operari nos, ſed etiam καλῶν ἔργων ſtudio præcellere, nec operarios modo, ſed & καλῶν ἔργων ζηλωτάς.

Cap. iij. Eramus quondam & nos ſtulti, inobedientes, errantes, ſeruientes concupiſcentijs ac uolupt. &c. At poſtquam bonitas & erga homines amor apparuit &c. Et hoc loco iactat gratiam, ut erudientem bonæ uitæ. Nam initio capitis monuerat de parendo, utq; ad omne bonum opus parati ſint, in uitæ commercijs æqui, reminiſcentes ſe quoq; fuiſſe, quales adhuc gentiles ſunt. Hinc ad gratiæ præconium euehitur, cui nimirum debeatur, ſenſuum morumq;, ſi qua eſt innouatio, Sed ibi non ſuſtinet gradum, nam ad opera ſua redit, præcipiens, credētes in cognitione gratiæ eō confirmandos, ut curent operando præſtare, utq; diſcant operando præſtare, maxime erga domeſticos fidei.

## EX PHILEMO.

Epiſtolion boni operis è charitate proficiſcentis. Porrò non cuiuſlibet eſt, tali opere præcellere, quale hic memoratur, uidelicet erga fugitiuum et ſuppilatorem ſeruum, in cuius cauſſa uterq; ex æquo bene operatur. Paulus commendat miſerum, Philemon commēdatum recipit. Vulgus noſtrum nō magnifice ſentit de operibus huius formæ. Sed qui animam ſuam in uitam cuſtodire uult, is ſibi perſuadeat, opera multiplicia, & ea fere deo gratiora eſſe, quæ ab uſu cōmuni remotiora, non. n. dicam deſpectiora uulgo ſunt.

Verum

VERVM è re Eccleſiæ uideor mihi facturus, ſi nominatim expreſſero, quæ opera fideliũ bona Chriſtoq; accepta ſint, non immemor horum, quæ ſupra in loco prophetæ Ionæ accenſui. Sunt autem:

Deo uni per amorem incomparabilem adhærere.
Chriſtum filiũ ore confiteri.
Spiritui ſancto obſequi.
Seipſum abnegare, deijcere, contemnere.
Affectus Adæ crucifigere.
Offerre deo quod optimum habemus, nẽpe nosipſos.
Ieiunare à peccatis.
Sabbatizare à flagitijs.
Intercedere pro omni creatura.
Myſticis ſcripturis ſtudere.
In eccleſiæ defenſionem dona dei collocare.
Eccleſię irreprehenſum pręeſſe.
Peccatores conuertere, aut ſaltem corripere.
Erga criminoſos ſeuerę eſſe.
Ad crimina uel patrata uel memorata gemere.
Se à ſceleroſis ſeparare.
Cum honeſtis conuerſari.
Diſcordes cõcordes facere.
Præparare animam ad tentationes.
Diſcere bene mori.

HAEC SVI generis ſunt. QVIBVS adijce:

Dare, mutuũ dare, ablatum aut repertum reſtituere.
Depoſitum & pignus reddere.
Cæcum & peregrinum in uiam ducere.
Decimas miniſtro dare.
Lapſum erigere.
Errantem reducere.
Spicas pauperi legendas relinquere.
Mendicos menſa accipere.
Vacuos eoſdem non dimittere.
Aduenas ſuſcipere, amare, iuuare.
Proximum imminente periculo præmonere.
Profugos tegere.
Pro proximo ſpondere ad uſus neceſſarios.
Eſculenta ac ſtrata ægrotis ac captiuis mittere.
Puerperijs opem ferre.

Eos q̃ ſub iugo ſunt, & mercede laborantes pro fratribus & ſororibus habere, atq; ijſdem adijcere beneficiola ultra debitum.
Solicitum cauere ne uirgines ob paupertatem ſemet proſtituant, ſed curare ut elocentur.
Remittere debitum ei q̃ non eſt ſoluendo.
Concedere de iure ſuo propter ſarciendam pacem.
Accurrere ad opitulandum communibus pariter & priuatis malis.
Vias publicas conſtruere.
Iuſta ſtatera modio ac ſextario uti.
Vendere ac emere ſecũdum charitatem, paupertatis ratione habita.
Scandali, iræ & iurgij cauſas uitare.
Dona contemnere.
Salutare & honorare, maxime contemptiores ac pauperiores.
Coram cano ſurgere.
Liberos proximi tui peccantes increpare.
Iuſte iudicare.
Vera dicere.
Bene precari.
Omnia in partem meliorem interpretari.
Bona de quouis dicere.
Mala tacere.
Pauperum cauſſas gratis ſcribere, gratis agere.
Diuites ſolicitare ad miſericordias pauperum.
Cruciari ob penuriam pauperum.
Indoleſcere calamitati pauperum.
Eſurire cum eſurientibus, frigere cum frigentibus.
Miſereſcere capite plectendis, parcere ſubiectis.

Et his plura, quæ Charitas operum omniũ magiſtra ac largitrix in cordibus noſtris per ſpiritum diffuſa, indicat & ad indicata tacitis ſtimulis incitat.

Adiunge HIERATICA hæc:

Adeſſe quando baptizatur ut intercedas.
Adeſſe quando uicinus Eucharistia cibatur, ut petas.
Precari ad menſam.
Legere familiæ ſacra.

Elatum funus inſequi.
Fodere ſepulchrum, ſepeli-re, orare ad ſepulchrum.
Amicos ſolari.
Sacra pro more uenerari.
Veteres ritus Eccleſiæ cum alijs unanimiter peragere.

Ab uſu lecti nonnunquam abſtinere.
Veſtiri digne domino.
Signare crucis ſymbolo.
Largiri, ſi ſit opus, ad conſeruationem ſacræ ædis, &c.

Connumera his omnibus quæ ſupra Ionæ tertio ordine ſuo retuli.

## EX HEBRAE.

Non eſt iniuſtus deus, ut obliuiſcatur operis ueſtri & laboris ex charitate ſuſcepti, quam exhibuiſtis erga nomen illius, qui miniſtraſtis ſanctis & miniſtratis. Ad Philemo. dicitur bonum fieri erga Chriſtum, ſicut hic erga nomen illius. Hic locus uehementer oppugnat operum contemptores, & praue ſecantes uerbum dei. Cap. vi.

Cum habeamus ſacerdotem mag. &c. in hoc ut prouocemus ad charitatem & bona opera. Ad Tit. de zelo, hic de paroxyſmo bonorum operum audis. Alterius opera debēt me ad paria uel his maiora extimulare, ut ego illum operando uincam, ille uiciſſim me. O piam & deo dignam inuidiam, Do keiner dem andern etwvas zuuor gibt mit gut thun. Cap. x.

Vbi uoluntatem dei peregeritis, reportabitis promiſſionem. Promiſſio fide accipitur, opere poſſidetur. Sic cap. xi. Fide uicerunt reg. operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt promiſſiones. Mundum fide uincimus, i. Ioan. iiij. Sed operibus iuſtitiæ, quæ tempore gratiæ facimus, adipiſcimur promiſſam hæreditatem. Hæreditas filiorum eſt, Filij autem ſumus per fidem & obedientiam, quorum alterum ſine altero nihil ualet. Cap. xi.

Cap. xij. Pacem ſectemini cum omnibus & ſanctimoniam, ſine qua nemo uidebit deum. Paulò ante dixerat, patrem ſpiritu um nobis ſuam impartire ſanctimoniam, ne igitur eius dicti fiducia inflatus, de ſanctis moribus nihil cogites, obdit repagulum.

Habemus gratiam per quam ſeruiamus deo, ut illi placeamus cum reuerentia & religione. Seruire deo, non naturæ ſed gratiæ eſt. In latria ſit reuerentia, pudor, metus, cautio, ne offendatur maieſtas Numinis.

Cap. xiij Ex animo precatur, ut abſoluti fiant in omni bono opere, ad faciendum uolũtatem dei. Significat neceſſitatem eius rei, ad quam ego Chriſtianum populum totis uiribus inhortor, ſciens terrorem domini.

# EX IACOBO.

Cap. i. Beatus uir qui ſuffert tentationem, quia cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam promiſit ijs qui ſe diligunt. Beata ſpes immortalitatis fidelium eſt, qui aduerſitate tentantur & probantur, uel ad ſanguinem uſq;, neq; tamen ſeparantur à dilectione dei in Chriſto.

Sitis factores uerbi, non auditores tantum &c. Verbum dei propterea audire, legere, concionari debes, ut illud facias ad ſalutem.

Factor operis beatus in ſuo facto erit. Religio pura & immaculata apud deum & patrẽ hæc eſt, inuiſere orphanos & uiduas in afflictione ſua, immaculatum cuſtodire ſeipſum à mundo.

Cap. ij. Quæ utilitas fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, facta uero non habeat? Num poteſt fides ſaluum facere illum?

Fides ſi facta non habuerit, mortua eſt per ſe. Ergo ſola non

non ſaluat. Ad hæc ſi ſecundum ſe mortua eſt, ergo ſecundum ſe nihil eſt.

Fides ex factis perfecta eſt. Conſummatio fidei opera ſunt: an fides conſummatio operum ſit, nondum legi. Ibidem habes, Opera ueluti ſpiritum eſſe fidei.

# EX PETRO.

Videte ut in timore conuerſantes &c. cum ſciatis uos non caducis rebus redemptos fuiſſe &c. Vtitur & Petrus hiſtoria mortis dominicæ ad parænetícam doctrinam. Vide quid hac de re in Paulo memorarim. Ne configuremini prioribus concupiſcentijs, exigitur morum ſanctimonia à uocatis ſanctis. Sanctus pater, ſanctos requirit filios. Cap. I.

Dilecti, obſecro ut aduenas & c. Conuerſationem ueſtram habete honeſtam inter gentes, ut uos ex bonis operibus æſtimantes, glorificent deum in die uiſitationis. Apud Ioannem dicitur nos penes charitatem cognoſci, hic legis ex bonis operibus æſtimari debere. Cedunt autem bona opera in gloriam dei operum amatoris Matth. v. Bonis operibus obturantur ora calumniatorum, & uincitur inimicitia, Romanorum duodecimo. Cap. ij.

Quoniam & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, relinquens nobis exemplum ut ſequeremur ueſtigia eius. Ex hoc loco predicat beneficium redemptionis ad exhortationem. Mox itidem: Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo ſuper lignũ, ut peccatis mortui, iuſtitiæ uiueremus. Priore loco predicat paſſionem Chriſti, ut nos patiamur, Poſteriore nunciat remiſſa peccata, ne amplius peccemus. Atque ita docet nos mors domini noſtri & crucem & conuerſationem.

Vt etiam qui non obtemperant uerbo, per uxorum conuerſationem abſq; uerbo lucrifiant &c. Apud Euſebium lib. x. Cap. iij.

lib.x. cap. x. legimus Iberorum gentem conuerſatione pia Chriſtianæ mulieris ad Chriſtum conuerſam fuiſſe. Et ipſe Iuſtinus ingenue fatetur ſe per conuerſationem & tolerantiam Chriſtianorum, Chriſti fidei additum fuiſſe, Lib. iiij. ca. ix. Quin Iulianus Imp. non negat Chriſtianorum ſuperſtitionem (ſic enim uocat fidem noſtram) augeri honeſtis uitæ bonæ officijs. Tripart. hiſtoria lib. vi. cap. xxix. Aeque magnum dicam: Vrſatius conuerſatione digna cacodæmonas effugare ualuit.

Nam qui uult uitam diligere &c. Perſpicuum facit apoſtolus, emendatam uitam neceſſario exigi ad uitam in æterna hæreditate.

Cap. iiij Cum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis in carne, uos quoque iuxta eandem cogitationem armemini etc. Iterum inculcat, quod toties Paulus, mortem Chriſti Ieſu docere, ne amplius peccemus.

Habes in deo commendari animas benefaciendo, præter tot commoda bonorum operum.

## EX POSTERIORE.

SEd in hoc ipſum omni adhibito ſtudio, ſubminiſtrate in fide uirtutem &c. Virtus, definitore Auguſti. ars eſt recte beneque uiuendi. Huic fideles ſtudeant in Eccleſia, hanc factis extendant, ut adipiſcantur promiſſionem gloriæ.

Hæc cum uobis adſint & exuberent, haud ocioſos, nec in irritum laborantes efficiunt, ad domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionem. Mox: Quapropter fratres operam date ut uocationem & electionem ueſtram firmam efficiatis. Hæc enim ſi feceritis, non labemini unquam, ſiquidem ad hunc modum abunde ſubminiſtrabitur uobis introitus in æternum regnum &c.

Qualea

Quales oportet eſſe uos in ſanctis conuerſationibus & pietatibus. Expectantes & accelerantes aduentum diei Dei. Paulò poſt: Date operam ut immaculati et incōtaminati ab illo reperiamini in pace &c. Cap.iij.

# EX IOANNE.

SI dixerimus, quod ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem nō facimus. Quod ſi in luce ambulamus. Et reliqua lege, qui bene de Chriſto ſentis. Cap.i.

Per hoc ſcimus, quod cognouimus eū, ſi iuſſa illius ſeruamus. Mox: Qui dicit, Noui eum & præcepta eius non ſeruat, mendax eſt, & in eo ueritas non eſt. Qui autem ſeruat ſermonem &c̄. Vel hinc liquet, ſermonē ſeruare, Ioan. xiiij. idem eſſe quod præceptum ſeruare ſeu facere. Cap.ij.

Qui dicit ſe in eo manere, debet ſicut ille ambulauit & ipſe ambulare.

Si quis diligit mundum, non eſt charitas patris in eo.

Qui facit uoluntatem dei, manet in æternum.

Filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non pudefiamus ab eo in aduentu eius. Hoc totum reſpicit ad facta iuſtitiæ, Nam ſequitur, ſi ſcitis quod iuſtus eſt &c.

Omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut & ille purus eſt. Filioli nemo uos ſeducat. Qui facit iuſtitiam, iuſtus eſt, ſicut & ille iuſtus eſt.

Omnis qui peccat, nō uidit eum nec cognouit eum. Vide reliqua.

Scimus quòd tranſlati ſumus de morte ad uitam, Quia diligimus fratres.

Per hoc cognoſcimus, ꝙ ex ueritate ſumus & in conſpe

q ctu eius

ctu eius ſuadebimus cordibus noſtris &c. Hoc eſt præceptum eius, ut credamus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos mutuo, ſicut dedit præceptum. Ecce duo: Credere & diligere, Vtrumq; uero præcipit dominus, utrumq; æque ad uitam apprehendendam neceſſarium. Qui garrit, Vnum eſſe neceſſarium, Nempe fidem ſolam, & charitatem cum operibus ſuis excludit, ille eſt euerſor Euangelij, & miniſter iniquitatis. Audiamus hoc loco S. Ignatij uerba ad Epheſios ſcripta: Habentes fidem & dilectionem, quæ eſt principium uitæ & finis. Principium quidem uitæ fides eſt, Finis uero eius eſt dilectio. Ambæ autem ſimul iunctæ in unitate factæ, hominem dei perficiunt, &c.

Cap.iiij. Qui non diligit, non nouit deum, quoniam deus charitas eſt. Mox: Si diligamus nos inuicē, deus in nobis manet.

Cap.v. Hæc eſt charitas dei, ut præcepta eius ſeruemus, & præcepta eius grauia non ſunt. Non audent uiri illuſores, alioqui ad Ioannem ſtomachabundi dicerent, quod illi apud Eſaiam cap.xxix. Manda remanda, manda remanda, quandoquidem fidelis diſcipulus Ieſu toties mandata iterat.

## EX SECVNDA IOAN.

INtuemini uoſipſos, ne perdamus quę operati ſumus, ſed ut mercedem plenam recipiamus. Opera perduntur, & fruſtra facta ſunt, ſi à Chriſto ad Antichriſtum deficias. Si uero in Chriſto uſq; in finem perſeueres, nō perdita ſed collecta & ceu depoſitum in cœlis collata ſunt.

## EX APOCALYPSI.

Cap.ij. DOminus ait: Scio opera tua, & laborem & patientiam tuam &c.

Age

Age pœnitentiam, & prima opera fac.
Opera tua nouiſſima plura prioribus.
Non inueni opera tua plena coram deo. Cap. iij.
Opera eorũ ſequuntur illos. Hac Cataſtropha ſermonẽ Ca. xiiij.
dei nr̃i finiamus: Nudo corpe è uita diſcedemus, i. Timo. vi.
Iob. i. Eccleſiaſti. v. Opes nobiſcum non ſumemus, ſed alie-
nis relinquemus, nec deſcendet nobiſcum gloria noſtra,
Iob. xxvij. Pſal. xlviij. Neq; tamen nudi reperiemur
operarij, ij. Corinth. v. Sed comes indiuulſa
erit Nuptialis ueſtis, tunica immacu-
lata, id eſt, ſancta conuerſatio
& theſaurus bonorum
operum, quem
apud de
um
depoſuimus.

FINIS.

# THESES DE FIDE.

## I. THESIS.

ERrant, qui Fidem tam rarum DEI donum ſine cauſſa faciunt.

## II.

Errant, qui donum faciunt tam incertum, nempe quod cras adimatur ei, qui hodie habeat.

III.

Errant, qui docent tam incertos adultos nos eſſe an credamus, q̃ incerti de infantib. ſimus, an credant.

IIII.

Errant, qui ſecus definiunt fidem, q̃ eam definierunt ſacræ literæ, quiq; eam alijs uerbis efferunt.

V.

Errant, qui fidei ceu deo adſcribunt operationem operum certiſſimam.

VI.

Errant, qui negant Chriſtianum populum hactenus fidem habuiſſe.

VII.

Errant, qui negant malos in Eccleſia credere poſſe, etſi fides illis nil proderit.

VIII.

Errant, qui iuſtificandi uerbum aliter interpretantur, q̃ debet interpretari.

IX.

Errant, qui affirmant fidem & charitatem idem eſſe, nec magis ſeparari, quam ſeparetur ignis & calor.

X.

Errant, qui prẹter ſcripturas clamant, fidem iuſtificare, quum deus per fidem iuſtificare dicatur.

XI.

Errant, qui docent ſolam fidem ad iuſtitiam, ſanctimoniam & ſalutem ſufficere.

XII.

Errant,

Errant,qui docent omnia pura bonaqꝫ eſſe quæ-
cunqꝫ fideles faciant.

X I I I.

Errant,qui docent DEVM ob ſolam fidem nobis
fauere,ſolamqꝫ fidem reſpicere.

X I I I I.

Errant, qui omnia in ſcripturis uiolenter ad fi-
dem referunt contra naturam textus.

X V.

Errant,qui fidem cum oppreſſione bonorum o-
perum predicant.

X V I.

Certiſſimum uero eſt,fidem dei donum eſſe.

X V I I.

Certiſſimum eſt,fidem, de qua nobis controuer-
titur,nullam eſſe, pręterq̃ Ieſu Chriſti, ueri Meſſiæ,
unigeniti dei uiui, Seruatoris noſtri, qui promiſſus
fuit in ſcripturis propheticis, & exhibitus ſub Au-
guſto Cæſare.

X V I I I.

In hunc credit tota Eccleſia,credit autem toto pe-
ctore,hoc eſt, habet ſibi longe perſuaſiſſ. atqꝫ ratiſſ.
ita eſſe, quemadmodum ſacræ literæ docent,parati-
or mori q̃ uel dubitare uel negare.

X I X.

Hæc fides principium & fundamentum eſt, ſine
qua nihil apprehenditur.

X X.

Hac fide iuſtificauit deus, quotquot ab initio acceſſerunt ad Eccleſiam, hoc eſt, accepit habuitq; pro iuſtis, nullo reſpectu præcedentium uel meritorum, uel peccatorum.

XXI.

Hac fide purificati ſunt, quotquot ab initio acceſſerunt ad Eccleſiam, utpote qui ante impuri erant tam religione q̃ conuerſatione.

XXII.

Hac fide benedicti ſunt cũ fideli Abraham, quotquot benedicti ab initio ſunt.

XXIII.

Vna fides hæc eſt, quam qui non habet, nullam habet.

XXIIII.

Qui hac fide carent, iniuſti ſunt, etſi ſibi omnium uideantur iuſtiſſimi.

XXV.

Qui hac fide carent, & iuſtitia fauoreq; dei & uita coeleſti carent.

XXVI.

Qui hac fide carent, impuri ſunt, & maledicti gehennæ filij, etſi operibus pleniſſimi ſint ac moribus fulgentiſſimi.

XXVII.

Carent autem hac fide præter Iudæos, Saracenos, Mammolucos, & Schytas, quidã hæretici homines.

XXVIII.

Nec ha-

Nec habere eam fidem putandi ſunt, qui cæteris articulis ſanctiſſimę fidei noſtræ, & ſacris literis utriuſq; legis corde perfecto non credunt. Tales dixerim fictos Chriſtianos.

XXIX.

Hanc fidem lædunt ſuperſtitioſi Chriſtiani, qui uarijs, anilibus atq; ſtolidis credulitatibus ducũtur.

XXX.

Hanc fidem negant flagitioſi Chriſtiani, qui repudiato dei metu, more filiorum ſæculi huius uiuunt & moriuntur. Credũt illi quidem corde Chriſtum, & ore palam profitentur, ſed factis gentilibus abnegant.

XXXI.

Hæc fides eſt, ob quam poteſtatem nobis pater dedit, filios dei fieri, & ex deo naſci.

XXXII.

Hęc fides eſt uictoria mundi, Nam is Chriſto manus dedit quantumlibet repugnans, & ſubiecere ſeſe regna terræ in fidei Chriſtianæ obedientiam.

XXXIII.

Hæc fides ſcutum eſt contra ignita Mali iacula, Etenim Chriſtifidelis non timet cacodęmones.

XXXIIII.

Hæc fides facit, ne maneamus in tenebris, & ne moriamur in æternum.

XXXV.

Hæc

Hæc fides tanta eſt ut quis ſine ea placere DEO haudquaquam poſſit.

XXXVI.

Per hanc fidẽ cuſtodimur uirtute dei ad ſalutem.

XXXVII.

In hac fide poteſt acquiri uita æterna & in alia nulla. Vnius enim Chriſti Ieſu nominis fides eſt, in qua omnes homines oporteat ſaluos fieri.

XXXVIII.

Hæc fides non nititur ſenſibilibus. Excedit cogitationem humanam, & tranſit infirmitatem omnium ratiocinationum. Nam contraria ſunt credere & ratiocinari. Pugnant inter ſeſe credere & experiri.

XXXIX.

Hac fide plenus dicitur, qui ſibi perſuaſiſſimũ habet quicquid legitur de Chriſto in Moſe, Prophetis & pſalmis, & quicquid ab Apoſtolis euangelizatum eſt.

XL.

In hac fide ſanus dicitur, qui nulla infectus hæreſi, conſtanter uereꝗ credit canonicis ſcripturis.

XLI.

Hæc fides infirmiuſcula in catechuminis eſſe poteſt, & poteſt augeſcere atque indies certior fieri in rudioribus.

XLII.

Hanc fidem quotidie exercere, inꝗ ea pectora noſtra ob-

ſtra obdurare debemus, recitando Symbolum apoſtolorum.

XLIII.

Hanc fidem confiteri debemus contra aduerſariam poteſtatem, & aſſerere contra hæreticam prauitatem, & ſuadere infidelibus, & acuere languidis.

XLIIII.

In hac fide oblectare animas noſtras debemus, & agere gratias deo benigniſſimo, quod uiuere in fide filij eius indignis nobis contigit.

XLV.

Optarim omnes nationes, quæ ſub cœlo ſunt, in huius unitatem fidei occurrere.

## AXIOMATA DE OPERIBVS.

PRIMVM.

NVLLIS uel ſanctiſſimis operibus aut meritis tribuendum eſt, quod optimus Deus hominem condidit, & illi omnia ſubiecit.

II.

Nullis operibus aut meritis tribuēdum eſt, quod miſericordiſſimus deus tot tantaq; humano generi promiſit.

III.

Nullis operibus aut meritis tribuēdum eſt, quod

r amantiſſi

Hæc fides tanta eſt ut quis ſine ea placere DEO haudquaquam poſſit.

XXXVI.

Per hanc fidẽ cuſtodimur uirtute dei ad ſalutem.

XXXVII.

In hac fide poteſt acquiri uita æterna & in alia nulla. Vnius enim Chriſti Ieſu nominis fides eſt, in qua omnes homines oporteat ſaluos fieri.

XXXVIII.

Hæc fides non nititur ſenſibilibus. Excedit cogitationem humanam, & tranſit infirmitatem omnium ratiocinationum. Nam contraria ſunt credere & ratiocinari. Pugnant inter ſeſe credere & experiri.

XXXIX.

Hac fide plenus dicitur, qui ſibi perſuaſiſſimũ habet quicquid legitur de Chriſto in Moſe, Prophetis & pſalmis, & quicquid ab Apoſtolis euangelizatum eſt.

XL.

In hac fide ſanus dicitur, qui nulla infectus hæreſi, conſtanter uereq; credit canonicis ſcripturis.

XLI.

Hæc fides infirmiuſcula in catechuminis eſſe poteſt, & poteſt augeſcere atque indies certior fieri in rudioribus.

XLII.

Hanc fidem quotidie exercere, inq; ea pectora noſtra ob-

ſtra obdurare debemus, recitando Symbolum apo-ſtolorum.

X L I I I.

Hanc fidem confiteri debemus contra aduerſari-am poteſtatem, & aſſerere contra hæreticam praui-tatem, & ſuadere infidelibus, & acuere languidis.

X L I I I I.

In hac fide oblectare animas noſtras debemus, & agere gratias deo benigniſſimo, quod uiuere in fide filij eius indignis nobis contigit.

X L V.

Optarim omnes nationes, quæ ſub cœlo ſunt, in huius unitatem fidei occurrere.

# AXIOMATA DE OPERIBVS.

PRIMVM.

NVLLIS uel ſanctiſſimis operibus aut meritis tribuendum eſt, quod optimus Deus homi-nem condidit, & illi omnia ſubiecit.

I I.

Nullis operibus aut meritis tribuēdum eſt, quod miſericordiſſimus deus tot tantaq; humano generi promiſit.

I I I.

Nullis operibus aut meritis tribuēdum eſt, quod

r amantiſſi-

amantiſſimus deus filium ſuum in terras miſit, carne indutum.

IIII.

Nullis operibus aut meritis tribuẽdum eſt, quod filius ille dei natus, mortuus, excitatus, atq; in coelum receptus eſt.

V.

Nullis operibus aut meritis tribuẽdum eſt, quod ſpiritum ſanctum paracletum demiſit.

VI.

Et, ut de effectu atque fructu myſterij totius loquar, nullis operibus aut meritis tribuendum, quod redemit nos filius, tradito ſuo corpore.

VII.

Nullis operibus aut meritis tribuẽdum eſt, quod nos prædeſtinauit, uocauit, elegit, iuſtificauit, purificauit, patri ex inimicis amicos exhibuit, & hæredes regni conſtituit.

VIII.

Nullis operibus aut meritis tribuẽdum eſt, quod nos à diabolo ſaluauit, e mundo eripuit, intra Eccleſiæ mœnia poſuit, ſacramentis & fide donauit, Gratiam infudit.

IX.

Omnia hęc fecit gratis, amore et miſericordia imperſcrutabili atq; inenarrabili permotus.

X.

Gratis

Gratis autem ſaluato homini & ſignis ſacris inſi-gnito præcepit, ut faciat, ſicut ipſe fecit.

X I.

Nam in hoc apparuit Gratia omnibus ſalutifera, ut ſobrie, iuſte & pie uiueremus.

X I I.

In hoc cruci affixus fuit dominator cœli & terræ, ut acquireret bonorum operum Zelotas homines.

X I I I.

Voluntas ſaluatoris eſt, ut ſaluatus depoſita ue-tuſtate, in nouitate uitæ ambulet.

X I I I I.

Decretum Redemptoris eſt, ut redemptus in ti-more & tremore ſeruiat ei, qui ſe redemit.

X V.

Iuſſio electoris eſt, ut electus eum qui ſe elegit iu-giter colat.

X V I.

Ea ſeruitus, is cultus perficitur amore eius, qui nos peccatores amauit prior.

X V I I.

Sita uero eſt cultura illa in obedientia, quæ eſt obſeruatio mandatorum dei.

X V I I I.

Sita item eſt in obſequio Apoſtolicarum traditi-onum, & conſtitutionum Eccleſiaſticarum, quate-nus religioni conducunt, & pietati ſeruiunt con-gruuntue.

r ij Crede-

XIX.

Credere oportet filium Eccleſiæ, eundem amare deum & proximũm oportet.

XX.

Quicunque alterutrum negligit, is condemnabitur.

XXI.

Fide acceſſimus ad Eccleſiæ corpus, amore atque obedientia accedemus ad patriam.

XXII.

Propter fidem reputati ſumus iuſti præ incredulis nationibus, ſed ea reputatio perit nobis, niſi iuſti re ipſa fiamus.

XXIII.

Quare qui bonorum operum doctrinam à regno Chriſti ſecludit, is uenit â diabolo, & a ſe ipſo loquitur.

XXIIII.

Chriſtus & Apoſtoli diligentiſſime docuerunt bona opera, quotquot crediderunt.

XXV.

Atq; ut ſtudioſiùs in hæc incumberemus, ipſi bona opera fecerunt, non docuerunt tantum.

XXVI.

Niſi fierent bona opera, neſcirentur Chriſtiani, et infirma eſſet noſtra uocatio.

XXVII.

Mactant igitur animas, qui uociferantur Chriſtianiſmum

aniſmum in cognitione & fide ſola conſiſtere.

X X V I I I.

Merentur fidei æquari opera, ſi non præferri.

X X I X.

Si mala opera ſeu peccata animam impœnitentem ad inferos demergunt, neceſſe eſt bona opera ſalutem pœnitentis operari.

X X X.

Bona opera placant iram dei fulminaturam.

X X X I.

Bona opera ſunt deo odor ſuaueolentiſſ. & tam grata tamque requiſita quàm eſt fides.

X X X I I.

Bona opera proſunt animæ & corpori, præterea famæ & Politiæ.

X X X I I I.

Bona opera iuuant & eum qui facit, & eum cui fiunt.

X X X I I I I.

Bona opera pręſtant tranquillitatem animi, Quare nihil optabilius.

X X X V.

Bona opera ſecuritatem pręſtabunt in reſurrectione iuſtorum, quando appropinquabit redemptio conſummata.

X X X V I.

Secundum opera uel bona uel mala iudicabuntur olim tam uiui quam mortui in Eccleſia.

r iij Bona

XXXVII.

Bona opera recipient credentem in beatas ſedes, inque aureum thronum collocabunt.

XXXVIII.

Gaudium ipſis angelis eſt ſuper bene operantibus.

XXXIX.

Lupus eſt, qui Euãgelio tectus, opera a fidelibus abegit.

XL.

Impius hæreticus eſt, qui nomen operis ſordere fecit in Eccleſia fidelis populi.

XLI.

Nemo hæreticorum plus nocuit regno Chriſti, quam Miſergi huius tempeſtatis.

XLII.

Si quis non docet bona opera, nec facit, ſit Anathema Maran atha.

1012889